


14630





SUBSIDIA ELOQUENTIAE SACRAE,

IN QUIBUS
SYLVULÆ CONCIONUM IN
ANNOS VIII , Ars CONCEPTUUM , DCC
EXEMPLIA FIGURARUM , APPARATUS HI-
STORIARUM PRO CATECHESI , BIBLIO-
THECA CONCIONATORIS , ALIA-
QUE PLURA EXHI-
BENTUR

AB
IGNATIO WEITENAUER S. J.

* * *

L I B E R XI.

DE USU

SS. PATRUM ET SCRIPTORUM
ECCLESIASTICORUM AD ELO-
QUENTIAM SACRAM.

Cum Approbatione.

Augustæ Vindelicorum & Friburgi Brisg.
Sumptibus Fratrum Ignatii & Antonii Wagner
MDCCLXV.

14630



EIPER XL



LIBER XI.
DE USU
SS. PATRUM
ET
SCRIPTORUM ECCLE-
SIASTICORUM
AD
ELOQUENTIAM SA-
CRAM

CAPUT I.
Patres & Scriptores Ecclesia-
stici Eloquentiae Sacrae perutiles.

Apostolorum successores fuere San-
cti Patres & Scriptores Eccle- 806.
siaстici, quos lumine ac spiritu rum semi-
singulari Christus implevit, ut gregem per com-
mendata.
sum non tantum viventes in concio-
nibus, sed mortui quoque in volumini-
bus ad finem usque seculorum docerent.
Quod Apostolis promisit, Patribus quo-
(A 2) que

4 LIBER XI. PATRES

que dedit, *os & sapientiam*, Luc. XXI 15. Largitus est *sapientiam*, qua veritates æternas perspicerent, mysteria arcanissima evolverent, omnes falsitatis insidias detegerent, noxia vetarent, utilia indicarent. Sed *os quoque dedit*, ut persuadere veritatem, frangere audaciam, mendacium redarguere, commovere animos, & quocunque vellent, agere auditores possent. Atque ita videmus in Apostolorum literis, quæ supersunt, non solum cælestem sapientiam, sed & efficacissimam eloquentiam regnare. Hinc illa Petri majestas, illud Pauli robur & pondus, illa Joannis suaviloquentia. Hæreditas utraque cum ad Patres Doctoresque reipublicæ christianæ transferit, semper ea fuit peritorum vox, Oratorem Sacrum post Divina Volumina non aliunde melius, quam e Patrum libris præsidia sibi comparaturum. Veteranus & nobilis Eloquentiæ præceptor, Bohuslaus Balbinus noster, in Verisimilib. Human. Disciplin. c. 11 § 1 ad concionem sacram designatis ita suadet: *Sanctos Patres nocturna diurnaque manu versare oportet.* *His dedit Coriolanus os & sapientiam que toti mundo sufficere posset.* Multo glorior vero auctor, P. N. Claudius Aquaviva, summa vir sapientia, in Epist. de Mediis conserv. Societ. verbi divini ministros

nistros sic hortatur : Serio se applicent ad studium ac meditationem Divinarum Scripturarum , Sanctorumque Patrum. Quod Claudio verbo , idem opere commendavit alias Societatis nostræ Præpositus Generalis , Joannes Paulus Oliva : qui solertia constantiaque incredibili in studio Patrum versatus , ejus rei testimonium publicum & laudem perpetuam in Menologio S. J. ad diem 26 Nov. obtinuit. Auctores ille sacros veteres pæne omnes , eorumque primores plane omnes , neque hos semel tantum , legendo absolvit , & in centum a se scripta volumina ad usum privatum rededit , quinquaginta propemodum annorum labore , veterum Patrum belluo inexplebilis , ut ipse de se loquitur in Epilogo , quo sexdecim libros suorum Stomatum concludit. Hinc multiplex illa e veteribus eruditio , qua conciones suas omnes per annos ferme quadraginta , inter quos in Vaticano Palatio XVI coram Summis Pontificibus IV , liberalissime perfudit. Societas quidem nostra in Regulis Concionatorum suis præcipit : *Lectioni sacræ Scripturæ ac Patrum præcipue incubant.* reg. 4. Omnibus autem magnus ille Franciscus Salesius auctor est , quanti hæc literaturæ pars facienda sit. Sic enim familiaris ejus Camusius , Bellicensis Episcopus ,

I. de Spiritu S. Francisci Salesii, Parte XVI
c. 7 narrat, divini verbi præcones etiam
atque etiam adhortari solitum, ut anti-
quorum Patrum Homiliae magna diligen-
tia evolverent: quæ cum pro seculo-
rum illorum consuetudine exiguo tem-
poris spatio circumscriberentur, abun-
dare tamen ingenio, & validissimis do-
cumentis esse plenas ajebat. Purpura-
tus Eloquentiæ sacræ magister, Augu-
stinus Valerius Cardinalis & Episcopus
Veronensis, de Rhetorica Ecclesiastica
III 41 scribit: „Clericis hoc tempore
„Sacros Libros, & Sanctos Doctores,
„legendos, imitandos, & sequendos
„proponimus: eos enim honore & imi-
„tatione censemus dignissimos, sed in-
„primis optamus, ut eorum mores &
„vitæ sanctitatem sibi imitandam susci-
„piant; eorumque exemplo non so-
„lum doctiores, sed multo etiam me-
„liores quotidie fieri studeant.“ Mag-
no verborum pondere præclaram de
Patribus Ecclesiæ opinionem, eorum-
que amorem inculcat Claudio Fleurius,
idoneus sane suasor, qui tantum indu-
striæ in illorum monumentis, non di-
co lustrandis, sed perscrutandis tot an-
norum spatio collocavit. In Disserta-
tione ad prima VI post Christum Secu-
la § 17 sic lectorem inflammat: „In-
„finitas igitur DEO ter Maximo gra-
„tias

„tias agere tenemur, cuius providen-
„tia factum, ut participes fieremus
„tanti thesauri, librorum a SS. Patri-
„bus conscriptorum, in quibus doctri-
„næ catholicæ summam, eandem ad
„posteros propagandi methodum, di-
„sciplinæ morumque regulas & exem-
„pla invenimus. Nonne istud divinæ
„providentiae miraculis accensendum,
„quod tot libri & pretiosa Patrum mo-
„numenta post tredecim vel quatuor-
„decim secula, post tot populorum
„barbarorum irruptiones, deprædatio-
„nes, & incendia, non obstante infi-
„delium furore, hereticorum nequi-
„tia, nec quinque sexve posteriorum
„seculorum ignorantia & corruptela, ad
„nostram usque ætatem feliciter perve-
„nerint? an non eidem divinæ sapientiæ
„in acceptis referimus, quod abhinc
„annis prope trecentis tot viros pios,
„aut saltem veteris historiæ amantes
„excitaverit, qui omnes Sanctæ hujus
„Antiquitatis reliquias colligerent, &
„linguis mortuis operam darent? Ejus-
„dem item providentiae opus est, quod
„Græci a Turcis oppressi dulce asy-
„lum in Italia & Francia naëti sint,
„simulque in lucem emergeret typog-
„raphia, divinum inventum, quo
„tot libri naufragio erepti in perpe-
„tuum servarentur. Nullus dubitandi

(A 4) est

8 LIBER XI. PATRES

„est locus , quin aliquando justus
„DEUS a Christianis , & præsertim a
„nobis viris Ecclesiasticis , hujus talen-
„ti clementer concessi rationem ex-
„acturus sit. Dum otium nobis est ,
„aut certe dum a laboribus necessariis
„respirare licet , huic Sanctæ Anti-
„quitati studeamus. Non ignoro ,
„quid plerosque ab hac lectione abster-
„rere soleat ; infinitus labor esse credi-
„tur , nec admodum utilis : hinc pluri-
„mi , ut tempori parcant , legunt Scri-
„ptorem modernum , qui ex antiquorum
„libris ea , quæ moribus nostris magis
„consentanea sunt , in compendium
„coegerit. Sed fallimini ! Moderno-
„rum nullus vobis Antiquitatem ta-
„lem , qualis est , exhibebit : quisque ,
„etiam non advertens , de suo aliquid
„adjicit , atque præjudicia patriæ & ævi
„sui inspergit : si etiam illud silentio
„præteriremus , quod multis moderno-
„rum , & his ipsis , qui maximi æstima-
„ri solent , Antiquitas non satis cogni-
„ta fuerit Si
„a nostra desidia impetrare potuerimus ,
„ut Sanctæ Antiquitatis doctrinam ad-
„discamus , aliisque , omni qua possu-
„mus ratione & modo , observandam
„proposuerimus : sperandum , tandem
„nos pudorem salutarem subiturum ,
„quod ab ea tam longe absimus ; nos
„que

„que cum auxilio gratiæ aliquem co-
 „natum elicituros , ut moribus nostris
 „propius ad eam accedamus. Præteri-
 „torum experientia nobis animos in
 „futurum addat. Quantum Ecclesiæ
 „disciplina uno abhinc seculo per De-
 „creta Concilii Tridentini , Sancti Ca-
 „roli labores , Seminariorum fundatio-
 „nes , tot in Ordinibus religiosis refor-
 „mationes emendata est ! Unde tot bo-
 „na , nisi ab Antiquitatis studio Eccle-
 „siæ advenerunt ? & quantum emolu-
 „menti sperare non possumus , si tam
 „illustria exempla sequamur ?“

Ex his tanquam archetypis primo-
 rum artificum Eloquentiæ veræ linea-
 menta & colores agnoscere , inque
 usum nostrum transferre conemur. Cu-
 juscunque ingenii , status , aetatis , gen-
 tisve simus ; qualescunque nobis audi-
 tores fors tribuerit , vel potius divina
 providentia assignaverit ; in tanto Pa-
 trum & Scriptorum Ecclesiasticorum
 numero inveniemus , quos imitemur.
 Ceterum eorum stylus , pro temporum
 ac populorum ratione , pro ipsa etiam
 ingeniorum differentia , longe diversus ;
 illud convenit , spiritus quidam cæle-
 stis , & humana omni tenuitate subli-
 mior ; ardor animi , purissimum omnes
 juvandi studium , summus peccati hor-

80
Eoru
loque

(A 5) ror,

ror, rerum fluxarum contemptus, inter maxima cæli dona singularis modestia, siue verissima despicientia. Sive igitur de cælo scribunt, sive de terra; sive de divina vi, sive de hostium nostrorum insidiis; sive impellunt ad optimam, sive a criminibus revocant; sive leniunt adversos casus, sive reprehendunt lapsus; sive ad multos pro concione agunt, sive in libris ad omnes, sive ad singulos in epistolis: roris est diducta oratio, non fontibus. Fontes ildem sunt omnibus, quos modo indicavi. Duo tamen summa genera comprehendo, in quæ viros hos immortales partiamur. Quidam excellentissimis ingeniis homines, cum jam sacræ solitudini vitam omnem dedidissent, facultate liberi ac vacui temporis diligenter usi, multo plura, quam exigi poterant, sapienti meditatione & accurata facundia congesserunt. Alii vero, quod est haud paulo magis admirandum, occupatissimo in vitæ statu, sacerdotiis maximis præpositi, privatorum hominum negotiis impliciti quotidianis, ditionis pontificiæ amplissima procuratione disticti; tantam nihilominus vim rerum complexi sunt, eamque omnem tanquam in summo vitæ otio ingentibus tot voluminibus consignaverunt. Per quod magna posteris cura injecta est, ne,

ne, ut illis gloriosissimum fuit tantas
Opes tanto studio comparare , nec ul-
lam desatigationem refugere ; ita nobis
tristissimum , ne dicam probrosum sit ,
opulentissimam hæreditatem nolle cer-
nere , & ne modicam quidem ejus par-
tem adire. Seculi proxime superioris
auctor insignis , quem inter sapientissi-
mos Criticos non sua tantum Gallia ,
sed Anglia etiam , & nostra Germania
numeravit , Dominicus noster Buhur-
sius (*Bouhours*) præfat. in Sententias In-
geniosas Patrum , sic de illis judicat ;
„ Eximii hi Scriptores multo justius ,
„ quam Plato & Aristoteles , divini &
„ nobis appellari queunt. Negari non
„ potest , ingenia fuisse ætatis suæ præ-
„ cipua , & plerumque omni doctrina-
„ rum genere perpolita. Non minus
„ dignos fuisse constat , qui in docto-
„ rum hominum Academiis subsellia oc-
„ cuparent , deque re poetica & elo-
„ quentia pronunciarent ; quam in san-
„ ctis sacerdotum conciliis de religione
„ ac disciplina sententiam dixerunt .“
Sed meminisse par est , non unam Elo-
quentiaz faciem esse , & alia aliis tempori-
bus ac gentibus placuisse. Summa rei sem-
per & ubique manet eadem ; perspicuitas
in explanando , in ratiocinando vis , in
permovendo potentia , universo in per-
suadendo auctoritas tanta , ut pudeat
dislen-

dissentire. Ornamenta vero, lumina, tractandi modus, dicendi genus, prouidetur usque indeole, pro temporum ingenio, pro audientium captu aut voluntate. Quod & apud Oratores profanos tam aperte animadversum est, ut inter doctos in axioma abierit, posse principes ac summos esse, qui inter se dissimiles sint. Inter sacros vero, ut alios multos taceam, tres habemus Oratores aureos, longissime inter se distantes. Eorum primus est in Oriente D. Joannes Chrysostomus, alter in Italia D. Petrus Chrysologus: quorum ipsum nomen predit, auream eis facundiam publico omnium judicio assignatam esse. Tertius est in Hispania S. Isidorus Hispalensis, de quo in Flore Sanctorum ad diem 23 Januarii in Vita D. Ildephonsi testatur utriusque popularis Petrus Ribadeneira, propter orationis copiam & elegantiam gloriosum cognomen Oratoris aurei seu Chrysostomi universis suffragiis adeptum esse. At quantum inter aureos hos Triumviro discriben! ut non minus orationis genere, quam terrarum distantia, disjuncti & prorsus distracti esse videantur. Idemque profiteri de Historicorum eloquentia ausim, quorum numerus non exiguis inter Scriptores Ecclesiasticos reperitur. Nihil majus profani in Histori-

istoriorum suorum principe T. Livio prædicant, quam affectus, præcipue eos, qui sunt teneriores. Opponamus igitur tenerimæ cuivis narrationi Livia-
næ illam D. Gregorii Turonensis de morte B. Radegundis, quam libro de Miraculis Confessorum c. 106 legimus. Tam vivæ sunt imagines, tam in animum penetrant, ita commovent, ita legentem rapiunt, & luctum ac lamenta dolentium tam feliciter exprimunt, ut non hæc legere, sed intueri & rebus ipsis interesse lector sibi videatur. Qui non verborum flore delectari, sed terum ipsarum nucleus degustare consuevit, nullum Livianæ historiæ locum reperiet, quem huic sine injuria anteponat. Atqui hic est Turonensis ille, quem Livianæ aures tantopere fastididunt, & non modo Romanis suis indignum putant, sed in Patrum etiam choro consistere vix patiuntur.

Quoniam igitur hoc delapsus est sermo, ut veteres illos profanos literarum heroes cum nostris conferrem: age, ductis utrinque lineis magnitudinem eorum ac distantiam recognoscamus. Multo, inquis, inferiores esse Græcis Romanisque Patres, quis non agnoscit? Atticismo credo, aut latinitate. Sed æqui judicis est vetates ab

803.
profanis
compara-
ta.

æta.

æstatibus distinguere, nec a seculis longe imparibus nulla habita ratione temporum paria exigere. Non adeo purus est nostris sermo, & quædam horridiora verba. Ita enim tum loquebantur. Id muta, quod illi sua quisque ætate non potuere: jam neminem externorum propter verborum decus christianis Patribus tanquam barbaris præferes. Injuste judicas, qui hos ad Demosthenis aut Ciceronis normam revocas, a quibus tanto temporum intervallo submoti sunt. Committe paria paribus, & eorumdem temporum æquales jube una in arenam descendere. Opponamus Ambrosio Symmachum e Latinis: e Gracis Basilio Libanum objiciamus. Aurum illud Romanum & Atticum scoria depravatum quereris: id utrisque commune est, nec pauciora in Symmacho Libanioque tuo ostendam, quam in Ambrosio aut Basilio tu accusas: nimirum hæ maculae, si tamen maculae, temporum erant, non hominum. Quid autem de vocabulis & phraseon lemniscis cavillari libet, ubi de rebus maxime seriis & Eloquentiæ summa quæritur? Hoc ostende, quisquis profanos tam magnifice jactas, scripsisse illos utilius nostris, docuisse melius, solidius probasse, potentius mouisse. Hisne omnibus, imo an vel horum singulis,

Sym-

Symmachum potiorem Ambrosio dices? Vanitate leviculum, affectatione putidum, toto genere frigidum Libanum cum virili & efficaci facundia Basilii Mani contendes? Hæc & his similia disputans Claudio Fleurius, Patrum veterum scientissimus, in Dissertat. ad sex prima Historiæ suæ Ecclesiasticæ Secula, § 16, in eo potissimum insistit, ab homine perito commiscendas inter se non esse Eloquentiam & Elocutionem; istius colorem cum illius nervis & ossibus æquari non posse. Quacunque autem, inquit, lingua loquaris etsi nævis aliquibus deformata: eloquens eris, si argumenta eligere optima, eaque disponere convenienter noris; si vivis imaginibus animos audientium excites; si affectibus & figuris ad assensum pertreas; hæc enim si facias, non minus apte ad persuadendum, sed minus pulcre tantum minusque polite dices. Minus presse Joannes Chrysostomus verba facit, quam Demosthenes, & artem minus celat: sed si caussæ ipsius firmamenta spectes, non minorem prudentiam & vim deprehendes. Intelligit, quando loqui, quando tacere præstet; quæ præ ceteris legenda materia, quæ rationes; qui animorum sedandi motus, qui stimulandi & incendi. In caussa illa anticipati ac perturbata de Statuis principio

leptem

ptem ipsis diebus tacet, & seditioni ac tumultui spatum dat, quo se frangat & detumescat. Interrupta sic Homilia- rum serie, omnibusque rursus audire Chrysostomum cupientibus, redit ille quidem ad orationis officium, sed eam ita temperat, ut afflicti & mœrore con- fecti populi vicem doleat, & paterna misericordia se teneri ostendat. Tum demum admonitiones leniter ac sapien- ter adhibet, dumque Divinæ Paginæ expositionem retractat, idonea tempo- ri documenta admiscet. Hæc Eloquen- tia est, hoc caput artis; non ut subtili aliqua transitione sermonem connectas, aut sopitas aures artificiosa quadam fi- gura concutias. Veteres Oratorem de- finierunt virum bonum dicendi peritum. Profecto dimidiā persuasionis partem fiducia obtinet. Libenter auscultant, qui concionantem credunt & rei peri- tum esse, & animo sincero agere. Quid ergo aut cui persuadere non debebant Pontifices ac Sacerdotes illi, quorum tam probata virtus erat, tam nota sci- entia, tam publica in omnes auctoritas? Quis resistere illis posset, qui ce- teris Eloquentiæ præsidiis curam per- petuam junxerant excubandi pro suo grege, & necessitati cuicunque amanter & sollicite occurrendi? Nihil viris maximis deerat, quo animos om- niusq;

nium sibi adjungerent, & faventes jam pridem oratione sua quaquaversum perducerent. In hanc fere sententiam l. d. Fleurius disserit. De ingenio autem si quæritur, arbiter sit idem Burhusius, quem paulo ante prædicavi. Ille, præf. in Sentent. Ingenios. Patrum, sine hæsitatione profitetur: *De-licatissimi quique ac politissimi Scriptores, qui Augusti seculo floruerunt, siquid est met judicii, nulla re sacris primorum seculorum Auctoriibus palmam eripiunt.* Posteriorum vero ætatum opera qui aspernatur, quod sequiore latinitatem videat, & cum stylo facundiam defluxisse autemet: *sciat,* inquit Angelomus in c. ult. Genes. de suo hoc volumine loquens, *sciat,* quia prudentes viri non compita, sed utilia in scripturis requirunt, & eis non verba artificiosa, sed dicta proficia placent: quia sciunt, quod non res pro verbis, sed verba pro rebus describendis sunt instituta. His verbis Angelomus finem libro imponit, & vallo non parum firmo se aliosque communit, arietes illorum repellens, qui ut sacra cetera, ita & Patres exosí, videri se Criticos volunt, cum aucupes verborum sint. Dicant hi, num gladii pretium ab aureo gemmatoque capulo statuant, an ab acie laminæque firmitudine: ille in pompa & pace spectatur, hæc bello & victo-

riæ serviunt. Dicant præterea, quibus
medii ævi latinitas, vel etiam ingenia
sacerorum per ea tempora hominum for-
dent: qui sunt ergo profani, qui eis-
dem temporibus vel majorem in verbis
elegantiam & curam, vel excelsius in
rebus ingenium subtiliusve acumen at-
tulere? quinam sunt, quos Scriptori-
bus Ecclesiasticis deterioris ævi ex iis-
dem seculis præponant? imo erravi:
non erat sic interrogandum. Muto
quæstionem: aliter percunctor: non
dico, Quem præponitis? sed, Quem
omnino opponitis? Si producere me-
liores poteritis, triumphate; si pares,
cessate spernere; si nullos penitus, pu-
dore operti conticescite. Quæ insol-
lentia est, profanos extollere, & sa-
cros seculorum illorum Scriptores irri-
dere, quibus seculis hi non solum do-
ctrina excelluerunt, sed soli docti ex-
titerunt? Ex inæqualibus adeo, longe-
que inter se disjunctis ætatibus compa-
rationem non reformido, & nostros
quosdam posteriores cum vestris longe
prioribus conjungi patior. Quid ha-
bet, ut nominem duos, quibus popu-
lorum consensio cundem eminentiæ ti-
tulum tribuit; quid, inquam, habet
Dio Chrysostomus, quo non dico su-
perior, sed par Joanni Chrysostomo
videri queat? Piget vel collationem in-

Ritueret: nam & hoc ad injuriam Divi pertinet, Dionem contra nominare. Tanta cum sit Eloquentiæ laus, q. æ SS. Patribus & Scriptoribus Ecclesiasticis debetur: gratulandum sum opere iis, quibus libet & vacat eorum lectio ne animum pascere, & suam pforum facundia nutrire. Hæc enim cum illis familiaritas, quanquam aliud agenti, tamen etiam orationis lumina & maje statem largietur; quodque est multo majus, spiritum illorum & sanctimoniam afflabit. Sicuti qui in sole ambulat, etiamsi nihil minus querat, exceptis perpetuo radiis coloratur, & qui officinas pigmentorum odorum que frequentat, ei etiam non sentienti adhæret suave nescio quid, & ipsum proximosque corroborat: ita qui saepius ad cælestes illos ac salutares libos redit, paulatim eodem cogitandi dicendique modo imbuitur, similique spiritu & confirmatur ipse, & alii se audientibus eundem inhalat.

CAPUT II.

Quomodo usurpandi.

Jurisconsultus, dum in causam descen dit, ejusque firmamenta undique coh quisit, non tantum Leges pro se in me

809.
Pondus &
eruditio-

(B 2) dium

nem ad- medium afferit, sed celebrium etiam
dunt. Legis interpretum auctoritate se com-
munit. Sic Theologus quoque, DEI
caussam in concione agens, non Divi-
ni cantum Codicis verba recitat, sed
& Patrum testimonia sibi adjungit. Ita
fit, ut etiam qui affirmante ipso assen-
sum cohibuissent, tantis suffragatori-
bus cedant, eorumque voce flectan-
tur. „Omnes enim, quibus integrum
„cor est, illorum sententias sequi con-
„tendunt: quia & ipsi apostolica &
„evangelica traditione suam mentem
„cum implevissent, & ex Sacris Scri-
„pturis sermonem fidei recte & citra
„reprehensionem tractassent, mundi
„fuere lumina:“ verba sunt S. Cyrilli
Alexandrini in Apologetico contra Ori-
entales, qui ad Concilii Oecumenici
Ephesini calcem legitur. Semperque
id majoribus nostris in more positum
fuit, quod in ejusdem Concilii Patri-
bus laudat Vincentius Lirinensis, eo-
rundem temporum scriptor gravissimus,
Commonitorii sui P. II c. penult. ut ca-
verent, „ne aliquid posteris traderent,
„quod ipsi a Patribus non accepissent;
„& non solum in praesenti rem bene di-
„sponerent, verum etiam post futuris
„exempla præberent, ut & ipsi scilicet
„sacratae vetustatis dogmata colerent.“
Verum non hoc duntaxat emolumen-
tum

tum a Patribus proficiscitur, ut pondus & firmitatem dicentis sententiæ addant: ipsum etiam eruditionis decus suggestum sacrum ornat, & splendore quodam huic loco conveniente illustrat. Declarat hoc indefessus ille Patrum lector, Joannes Paulus Oliva, in Epilogo suorum Stromatum, allata similitudine ab opiparo lautoque convivio: quale est verbum DEI, ad quod omnes hominum ordines invitantur, & liberalissime pascuntur. In splendidis epulis non usitato tantum vino, ac domi nato, contenti esse jubentur convivæ: sed peregrina etiam, & antiqua vina ponuntur, ut palatum hospitum excitant, & mensæ ornamento sint, dum ipsa ætate commendantur, quæ, inquit Oliva, auctoritatem Scriptoribus, ut viuis conciliat.

Multiplex porro usus est Patrum & Scriptorum Ecclesiasticorum, cum testes in judiciis his nostris citantur. Argumentis opus est; unde solidiora perenne*Uſurpan-*
temus, quam ex invictis illis veritatum*direc-*
perennium assertoribus? Conceptus Biblici desiderantur? unde meliores & saniores nobis comparabimus, quam e primis illis ac præcipuis Divinæ Paginæ interpretibus? Similitudines placent, quibus salubria orationis pascua tan-
(B 3) quam

quam jucundis floribus distinguantur? nusquam flores hi provenere dignius, quam in eorum solo, qui amorem & ingenium salvo decoro & intacta officii maiestate virere ac vernare in tempore passi sunt. Affectum iactare facies cupimus, & auditum pectora acerrimis ignibus inflammare? apud illos luculentii foci ardent, qui beatis his incendiis ut urebantur ipsi, ita orbem terrarum implero universum studebant. Documenta deinde que postulamus, quibus in rem praesentem deducatur auditor, & usum ipsum veritatum proxime discat? nemo haec suppeditabit utilius, quam peritissimi illi animorum medici, & viæ ad salutem & sanctitatem duces. Nulla ergo pars est orationis, nullum concionantis officium, ad quod nos Patrum volumina direkte non prosequantur. Exempla horum velle in re tam mota commemorare, foret, ut opinor, in sole meridiano lucernam adhibere: pleni sunt enim oratorii omnes libri, pleni quos asceticos dicimus, Patrum antiquorum dictis, quibus posteriorum temporum Scriptores sua vel stabiliunt & expoliunt, vel ad affectum & usum adducunt & aptant. Rarior est modus, quo Patrum verba oblique in rem nostram alectimus, & ex illis, quæ ad alium finem

nem auctor scripsit, aliquid argumento
nostro opportunum elicimus. P. N. Oli-
va in Orationib. Vaticanis coram Ale-
xandro VII P. M. conc. 2 inquit:
„Audiamus, quanta verborum elegan-
„tia Petrus Chrysologus exponat Cle-
„ri principibus, & animarum Recto-
„ribus, ingentes labores, quos per-
„ferre debeant, & plurima commoda,
„quæ ipsos dedecet considerare. Guber-
„nator a littore cum navim solvit, domus,
„patriæ, conjugis, pignorum curas depo-
„nit; & ita totus, mente, corpore & sensu,
„nauticis laboribus occupatur, ut & fluctu-
„um possit superare discrimina, & statio-
„nem lucrosi portus periculi vitor intrare.
„(serm. 8.) In proferenda tam sancti
„Archiepiscopi admonitione videbam
„quid mihi tacite objiceretur a viris
„eruditis, & a theologis in lectione Pa-
„trum peritis. Neque recuso eam
„difficultatem proponere, quam sol-
„vendam spero. Dicunt, pium Præ-
„sulem l. c. non locutum esse de Præ-
„sidibus Ecclesiasticis, sed duntaxat
„auditoribus suis descripsisse nautarum
„vitam ærumnosam. Fateor ego, ni-
„hil aliud dixisse Chrysologum. Ve-
„rum est animus ex ejus descriptione
„syllogismum meum confidere, atque
„hoc modo argumentari. Si Naucle-
„ris navigii mercatorii, quibus ex una
(B 4) „re-

„regione in aliam merces deportantur,
„& feruntur aromata, lex tam dura
„imponitur, ut non respiciant quod in
„patria possident; totique sint, sensi-
„bus corporis & facultatibus animæ, in
„frangendis fluctibus, in regendo cur-
„su, in vitandis syrtibus, in monstris
„perterrefaciendis, in prædonibus repel-
„lendis, in ventorum flatibus amoven-
„dis, in procellis vincendis: quid agen-
„dum erit consecratis Navium Ecclesi-
„asticarum Gubernatoribus, quæ non
„onerantur vel frumento Libyæ, vel sa-
„litis Siciliæ cibis, nec Aegypti coriis; sed
„quibus vehuntur mysteria fidei, salutis
„sacmenta, innocentiae documenta,
„thesauri gratiæ, & sementis gloria? Si
„enim desudant tantopere, si tam in-
„vigilant vectores aromatum, quæ
„corruptioni obnoxia sunt, & vilissi-
„mæ segetis: quanto magis conniten-
„dum erit, neque unquam somno in-
„dulgendum iis, qui animas ducunt,
„primum ad arenam pœnitentiæ, dein-
„de ad cæli stellas? Gubernator a littore
„cum navim solvit, domus, patriæ, con-
„jugis, pignorum curas deponit, & totus,
„mente, corpore, sensu, nauticis laboribus
„occupatur. Et qui hoc audierit, existi-
„mabit, Naucleris Apostolicis tradi-
„navigia evangelica, ut ipsi secedentes
„in sublimem & inauratam puppim,

fo-

„ somnum excipient in molli culcitra
 „ intexta serico , ad undarum murmur,
 „ ad pompam ab uno in aliud regnum
 „ transvehendam , & ad salutationes ab
 „ arcibus bombardarum explosione plu-
 „ res exigendas ? Debent ipsi eo labo-
 „ riosius conniti , quod vectores ducant
 „ non ab ortu ad occasum , sed a mun-
 „ do spectabili & caduco ad mundum
 „ incognitum & æternum. “

Nec in id solum prosunt veteres, ut præclaras eorum sententias in orationis cursu mutuemur : ipsum persæpe dicendi argumentum subministrant. Non pauca hujus exempla in superioribus Libris hujus Operis extant , ubi apparatus Propositionum & Partitionum exposui. Orator Cæsareus , Franciscus Xaverius Breanus noster , in diem Parasceves verba D. Ambrosii e Commentariis in Lucam adoptavit , quibus moriens Christus testamentum condidisse dicitur , singula quæque distribuens ; Apostolis persecutionem , Judæis corpus , Patri spiritum , Virginis paronyxum , Latroni paradisum , Christianis penitentibus crucem , peccatori infernum. Horum postrema tantum sibi decerpens Breanus , Orationi titulum hunc præfixit : Christi morientis Testamentum , a D. Ambroso consignatum. Partitionem dein-

811.
Præbent
& ipsam
materiam;

de hac Apostrophe includit : „Tu,
„qui peccasti, sed cum Latrone bono
„vere ac sincere ad DEUM reversus
„es, scito, Paradisum tibi in perpe-
„tuum addici. Tibi, qui peccasti,
„sed serlæ pœnitentia dedere te statui-
„sti, vel nunc certe statues, tibi pro
„vita præsenti crux relinquitur. Tibi,
„qui peccasti, & cum infelici latrone
„in scelerè pertinaciter commoraris,
„tibi nil nisi æterna inferorum suppli-
„cia a Judice Christo supersunt.“ Quo-
niam casus Ambrosum obtulit, unum
& alterum nos quoque specimen ex eo
capiamus. In ornatissimo suorum li-
brorum, Hexaemero, seu de Opere
sex dierum, VI 8, ubi divites & pau-
peres inter se comparat, Quidem, inquit,
audisti pauperem cruditate defunctum? Pro-
dest illi inopia sua: exercet corpus, non op-
primit. Sæpius opulentos divitiae sus-
pessumdat, & intempestivo exitu ad
tumulum deducunt. Ex opibus delicie,
luxus, saturitas, abundantia: hinc seo-
lera, hinc morbi, qui vitam immaturo
fine abrumpunt. Beati pauperes, mul-
tis quidem nominibus aliis, sed hoc
etiam, quod sanos & salvos inopia sua
diu conservat. Quod virtuti fortasse
non darent, felix necessitas extorquet,
ut temperantiam & laborem colant.
Divitium scimus ingentem numerum
crudeli-

cruditate defundit. Hoc morborum seminarium paupertas ignorat. Opes otium alunt: otio, ut animus torpefit, ita corpus marcat. Egestas autem exercet corpus, & exercendo vegetum firmumque reddit. Sed ne divites excludantur, aut sine solatio doctrinaque utili dimittantur: & ipsis partem Orationis hujus tribuamus, & emolumenatum ad omne genus hominum derivemus. PROPOSITIO. Divinæ Providentiae beneficium, paupertas longava.

1. Longæva per temperantiam: quam tamen imitari & divites possunt.
2. Longæva per laboram: quo tamen & divites exercere se possunt.

Aliibi idem Mediolanensis Pontifex de Caino fratricida miratur, qui fieri potuerit, ut oblitus naturæ, illo sanguine manus commaculare non dubitaret, quem sibi communem sciebat. Verum, Inquit I. II de Abel & Cain c. 9, quomodo fieri posset, ut naturæ obedientiam deferret, qui DEO reverentiam non exhiberet? Adeste parentes, qui liberorum vestrum ætati teneræ vanitatem citius, quam DEI timorem ac reverentiam instilla-

Gillatis. Si tanti vobis DEUS non est, ut ejus gloriæ consulatis: sit vobis tanti honor ceter & reverentia, quam frustra speratis a filiis, si Domini timore imbuti vestra culpa non fuerint. Vos quoque interrogatio Ambrosii premit: Quomodo fieri posset, ut naturæ obdientiam deserret, qui DEO reverentiam non exhiberet? PROPOSITIO. Frustra, parentes, a liberis reverentiam expectatis, quos DEUM revereri non docueritis.

1. Non parcent auctoritati vestræ, si DEO parere a vobis non discant.

2. Non parcent bonis vestris, si DEI donis abuti conniventibus vobis assuescant.

3. Non parcent fastidiis vestris, si DEUM contumare vobis auctoribus non vereantur.

Est in Patrum numero Ambrosius alijs, quem cognomento Ansbertum multi, diligentiores Ausbertum vel Autpertum dicunt; tempore quidem longe posterior, ingenii tamen acie non multum dissimilis Mediolanensi. Hic l. VII in Apocal. partem cantici interpretatur, quo victores bestiæ Agnum prædicant;

Quis

Quis non timebit te Domine, & magnifica-
bit nomen tuum, quia solus pius es, quo-
niam omnes gentes venient, & adorabunt
in conspectu tuo, quoniam iudicia tua mani-
festa sunt? Apoc. XV 4. Non imme-
rito hic miratur Autpertus, qua ratio-
ne hæc inter se cohærent: „Num.
„quidnam, si timendus est, quia ju-
„dicia ejus manifesta sunt, timendus
„erit etiam, quia pius est, vel quia
„omnes gentes ad adorandum eum
„veniunt?“ Nam ejus in nos pietas,
& gentium omnium concursus ac plau-
sus, gaudii & laudis materia esse, non
timoris argumentum videntur. Sed,
inquit Ambrosius, tanta pietas, quæ
universas gentes ad se vocat, timere
omnes docet, ne, si sint ingrati, ea-
dem judicia & supplicia manifesta sen-
tiant, quibus Judæi, antea per ean-
dem pietatem vocati, ob ingrati animi
vitium ceteraque peccata oppressi sunt,
„Quis clementiam tuam inspiciens,
„qua ad mensam cælestem dudum canes,
„nec micis filiorum dignos, id est,
„nos gentes introduxisti, non perti-
„mescat severitatem, qua filios, id est,
„Judæos, de convivio expulisti?“
PROPOSITIO. Pietas vocantis DEI
timere nos jubet.

i. Hæc pietas olim vocavit om-
nes Judæos, & repulit; quia
in-

ingratos : an minus ingrati nos sumus ?

2. Hæc pietas deinde vocavit multas gentes , & repulit ; quia indignas : an digniores nos præbemus ?

812. Quod Eloquentiæ Civilis magistri
Verte & suadent , in Sacra etiam utilissimum fue-
imitari e rit , e græcis latinisque Patrum fonti-
pedit.

bus in linguam patriam transferre alii-
qua , ut illorum more pugnare , illo-
rum uti armis , & iisdem incursionibus
hostem vincere consuecamus . Nomi-
nationi industriam hanc proponit sapien-
tissimus Societatis nostræ Præses Clau-
dius Aquaviva in epist. de Formandis
Concionatoribus . Si quem ab hac exer-
citatione labor absterret , certe insignes
quosdam locos e Divorum Homiliis
Librisque deligere , & in argumento
alio imitari licebit . Quæ commentatio,
inter alia commoda , & istud habet ,
quod sensim & tacite ostendit puræ &
sanæ Eloquentiæ fines , ne ultra Patrum
limites prodeamus , aut ad alta evole-
mus . Non ego huc Icarum e fabulis
advocabo : presto nobis Hieronymus
est , qui ab elatiore conatu I. I in Matth.
deterset , dum ambitiosiorem quorun-
dam expositionem repudians , ait : Sunt
enim

enim quidam, qui volunt terminos Patrum
excedere, & ad alta volitare, in ima mer-
guntur. Illos autem si sectemur, quos
a dicendi humilitate ingenium, sed &
ab immoderatione sapientia, & a fastu
sanctimonio removit: næ illi nos ab
utroque extremorum tutos præstabunt,
ut neque abjecti ac timidi serpamus hu-
mi, neque tamen ignotas antiquis nu-
bes & inania captemus. Purpuratus
censor, & optimus styli judec idem
ac magister, Sfortia Pallavicinus. in
accuratissima sua Concilii Tridentini
Historia VII 14 optimum omnium con-
cionandi genus esse illud observat, quod
non nisi Christum promulgat, & tamen
auditores ad se allicit. Sed ipse fatetur
continuo, nihil hoc dicendi genere vel
subtilius esse, vel difficilius: ratio con-
cionandi maxime ingeniosa, & supra modum
ardua. Hunc vero eminentem, & ut
ita dicam, senatorium Sacræ Eloquen-
tiæ gradum nemo concendet facilius,
quam qui in primis Patriciorum illorum
subfelliis versari studuerit. Præstabilius
hoc erit, quam recentiorum querun-
dam clientelæ se tradere, ambiguo in-
ter ornamenta erroresque successu. In-
ter Eloquentiæ impedimenta numerat
laudatus modo P. N. Claudius Aquavi-
va, epist. de Form. Conc. perlegere quo-
dam e Sermonariis, ut vocant, qui temere
plerum-

plerumque Scripturis abutuntur , conceptus-
que vanos ac futilles consequantur. Tam effi-
cacia tamque succo plena sunt , quæ
vir magnus addit , ut temperare mihi
non possim , quin ascribam , etsi L. V
N. 304 a me prolata : sed ne prope-
ranti Lectori eo recurrendum sit , re-
petere hic juvat : „ Adeoque graviter
„ his conceptibus & commentis in er-
„ rorem impelluntur nonnulli , ut se
„ utilius in ejusmodi librorum , quam
„ in Sanctorum Patrum lectione ponere
„ tempus arbitrentur : propterea quod
„ non perinde in his , atque in illis ,
„ talia commenta reperiant. Atque in
„ hoc quidem minime falluntur : nam
„ Sanctorum Patrum conceptus firmita-
„ tem habent , medullam spiritus , mul-
„ tamque ad perinovendos oblectandos
„ que animos efficacitatem : quin & ipsa
„ per se cujusdam Sancti auctoritas pre-
„ tiosiores illos , atque commendabilio-
„ res efficit.“ In eadem sententia fuit
Didacus Torres , summæ in America
vir auctoritatis , & rei christianæ apud
Paraquarios columna. De quo Nico-
laus del Techo in Historia Provinc.
Paraq. S. J. VIII i inter res maxime
commemorabiles & istud narrat : „ Ner-
„ vosa in concionibus , non curiosa se-
„ etabatur. Ne nostri juvenes assuesce-
„ rent limatulis concionum composto-
„ ribus ,

„ribus . omnes e bibliotheca erutos
 „vendidit , Sanctorum Patrum Oper-
 „bus ad usum expositis.“ Illud nim-
 rum in animo defixum habebant , tam
 Claudio de sermonariis , quam Torres
 de compositoribus , SS. Patrum compara-
 tione spectata ; quod modestissimus Ge-
 deon Jud. VIII 2 dixit : *Nonne melior est*
racemus Epbraim vindemiis Abiezer ?

CAPUT III.

Cautiones quædam.

In tanto Patrum & Scriptorum Ecclesiasticorum numero mirum videri nemini debet , occurtere subinde sententias , vel inter se in speciem contrarias , vel a nostra consuetudine alienas : cogitandum est enim , quam diversa fuerint tum tempora , tum ingenia , tum regna & provinciae , tum etiam ipsæ scribendi occasiones . Multo vero minime sumenda cuique auctoritas & confidentia est , qua tantos viros ad suum tribunal vocare , & abditissimarum rerum exercere cognitionem ausit . Illorum ingenia anteponere nostris fas est , & ita eis favere , ut comprobare illorum dicta , quam infirmare ; venerari , quam rejicere ; excusare certe , quam judicare malimus . Sunt autem quam

34 LIBER XI. PATRES

plurima, in quibus cum falsitatis suspicio hærere initio possit, re momentis suis ponderata, vera sanaque omnia ab æquo Lectore comperiuntur. Quam multa in hoc negotio consideranda sint, tam concinne, tam solide, tam integræ collegit V. C. Adrianus Kembleanus, eximia eruditione doctrinaque Scriptor, ut illius potissimum verbis complecti omnia juvet. Is in foro sibi proprio, quippe Theologiæ Patrum in Alma nostra Leopoldina Oeniponti Professor dignissimus, in edita nuper Introductione ad Theolog. Patrum, c. 6, hunc in modum differit de iis, quæ in Patrum voluminibus minus certa videri possent: „Sæpe enim aut errores „non sunt, aut levi spongia dilui pos- „sunt, aut collata cum aliis loca expli- „cari: & præ ceteris semper ea inqui- „renda, in quibus data opera argumen- „tum illud tractarunt: in unum enim „aliquid intenti, aliud velut levius, „& obscurius prætermiserunt; præser- „tim cum de tali nulla adhuc nata est „controversia, ut adversantium telis „opus fuisset tam validum seutum ob- „jicere, sed potius ipsa securitas eos- „dem velut aliud agentes, & incurio- „sos reddidisset Ideo caussam, occa- „sionemque scribentis perspectam ha- „bere oportet, ut dum Patres pro- „, con-

„ concione dicentes , dimisso literali
„ sensu , mystico & allegorico utuntur,
„ ut populo explicent divina eloquia,
„ excitentque ad officia pietatis , & ad
„ reverentiam mysteriorum impellant;
„ cum literalis sensus & critica subtilitas
„ nihil per se ad informationem pietatis
„ conferret , locumque solum habeat
„ inter eruditos , aut religione discor-
„ des: a contrario pugnantes adversus
„ Judæos & hæreticos solum literalem
„ usurpabant ; qui in investigatione &
„ tutela veritatis rem conficit.
„ Sic in declaranda , restituendaque Scri-
„ ptura contra ejusdem falsarios emi-
„ net Hieronymus ; in vindicanda di-
„ vinitate Filii DEI Athanasius & Hi-
„ larius contra Arianos ; de gratiæ na-
„ tura Augustinus contra Pelagianos. “
Tum Divi Thomæ Aquinatis auctori-
tatem interponit , in C. I Joannis Lect.
dicens: *Antiqui Doctores , & sancti ,*
emergentes errores circa fidem persequebantur ,
ut interdum viderentur in errores labi con-
*trarios. Sicut Augustinus contra Mun-
icipios , qui destruebant libertatem arbitrii ,*
*taliter disputat , quod videatur in bæresim Pe-
lagii incidisse. Pergit Auctor Clarissimus :*
A contrario dum arma in Pelaginos
stringit , videtur libertatem evertere.
Sic Gregorius Thaumaturgus , dum
Aelianum gentilem oppugnat , ita de
(C 2) , DEO

„ DEO uno agit, ut cum Sabellio vi-
„ deatur confundere Personas: at Dio-
„ nysius Alexandrinus ita Personas di-
„ stinguit, ac si etiam plures agnosceret
„ naturas. Sic & Hieronymus contra
„ Jovinianum ita in nuptias invehitur,
„ ac si cum Marcione sentiret, conju-
„ ges spe beatæ immortalitatis excludi.
„ In epistola ad Pammachium tamen
„ accurate moderatur docens, se isthæc
„ per comparationem dixisse, nec aliud
„ velle, ac tantam esse virginum felici-
„ tatem, ut, si ad earum felicitatem
„ conjuges conferantur, viles prope
„ sint, atque despici. Præcæteris ad-
„ vertamus animum, non tantum quo
„ seculo, sed etiam anno, & in qua
„ provincia scripserint, ad diluenda ea,
„ quæ errorem indicate videntur: mul-
„ tæ enim opiniones vagabantur, non
„ dum sat explorata falsitate, quæ sua
„ probabilitate tum primum fuerunt
„ exutæ, postquam Ecclesiæ judicio
„ uestulatæ sunt. Multa siquidem dog-
„ mata progressu primum temporis fue-
„ runt eruta, & explicata, quotum fal-
„ sitas sine piaculo ante hæc potuit
„ ignorari. Denique & illud sapienter
ac erudite subjicit: „ Ad dignoscen-
„ dos ejusmodi errores multum quoque
„ servit, si Patrum aliorumve Scripto-
„ rum Ecclesiasticorum patriam, edu-
„ catio-

cationem, mores, disciplinam, stu-
 dia, vitæ rationem, pro quibus, ad-
 versus quos, quo fine, in quo loco,
 in qua materia scripserint, habeamus
 compertum, ut auctoris mentem &
 consilia assequamur: Episcopus enim
 aliter scribit, quam laicus; aliter
 Africanus, quam Asiaticus; ab hosti-
 bus laceffitus secus, quam vitam tran-
 quillam agens: quod ob has similes-
 que rationes multi nævi abstergi pos-
 sint, facilique excusatione purgari:
 qua in re lumen nobis prætulit Hie-
 ronymus de Scriptoribus Ecclesiast. &
 Gennadius in Catal. Virorum Illu-
 strium. Quis enim nescit, quædam
 menda non tam perversæ Theologiæ,
 quam Philosophiæ irrepissæ principiis?
 Quis nescit, alium fuisse Tertullia-
 num & Origenem post, alium antea
 lapsum? Alius erat Augustinus juve-
 nis, alias Presbyter, alias Episco-
 pus. Eusebius, Rufinus, Theodo-
 retus, Cassianus, Severus Sulpicius,
 in multis laudandus, castigandus in
 non paucis. Victorinus Afer & La-
 stantius Firmianus majorem eloquen-
 tiæ & eruditioni, quam doctrinæ
 christianæ dantes operam, non tam
 nostra confirmarunt, quam aliena de-
 struxerunt. Julius Firmicus Mater-
 nus studiosissimus astrologiæ, sed jux-

(C 3) , ta

„ta imperitissimus, de eadem superstitione, cum esset gentilis; melius, „cum factus Christianus, de errore profanarum religionum scripsit. Nil „jam de quibusdam nævis Hilarii Piçta viensis.... & Prosperi Aquitani memo- „rem, quibus facile quis possit offendit, si ad temporis rationem, vitæque „institutionem non respiciat. Ex his animadversionibus, tam perite ac liberaliter congestis, unam & alteram attigit præstans Eloquentiæ Sacræ docto[r] Amadeus Bajocensis, inclytum decus sacræ Capucinorum familiæ, in Paulo Ecclesiaste P. I l. H c. 4 art. 2 fecit 2 dicens: „Siquid apud SS. Patres „occurrat a communi Ecclesiæ sensu abhorrens, caute admodum & reli- „giose tractari debet, cum hæ possint esse hujus rei caussæ, quarum aliqua „S. Doctorem excusat. 1. De q[uæ]stione proposita non scripsit forsitan „ex professo, adeoque non exacte, „2. Aliquando hyperbolice ob instantem necessitatem. 3. Potuerunt SS. Doctores aliquid scribere primis Eccl[esiæ] temporibus, quibus plurima „necdum erant definita, quod nunc „temporis improbaretur. 4. Potuerunt irreprobisse errores in SS. Docto[r]um libros, vel hæreticorum malitia, „vel injuria temporum, vel librarij „rum

rum incuria. Eruditus igitur, solrie,
caute, pie, & ingeniose utr erit
SS. Patrum testimonia. Sic multa,
quæ ardentes accusant, ab erroris no-
ta liberabimus: cetera, qæ pauca
sunt, humaniter in tantis viris excusa-
bimus, memores candidissimæ senten-
tiae, a S. Gregorio Nazianzeno orat:
3, quæ est in Julianum prior, de sum-
mis etiam auctoriibus prolatæ: Oportebat,
ut, cum homines essent, peccati aliquid ad-
mitterent. Quamobrem modestissime de-
se Othlonus l. de III Quæstionibus,
in prologo, de hoc suo dialogo ad le-
ctores inquit: „Siquid inepte vel ini-
que prolatum agnoverint, quod
etiam Sanctis Patribus legitur evenisse,
imperitiæ magis, quam malitiæ meæ
deputent: ideoque sic noxia refe-
cent, ut utilia non condemnent. Scio
enim, quia tam sanctam, tamque ar-
duam materiam nullo stylo aut ser-
mone congruo promere potui. Ve-
runtamen ideo utcunque proferre stu-
dii, ut a peritis aliquibus proferre-
tur in melius.“ At eos, qui obvium
quidlibet in gravium Doctorum libris
arripiunt, eisque ob exiguum Geogra-
phiæ aut Chronologiæ erratum, vel
etiam ambiguum dictum, clamolam & in-
verecundam litem intendunt, digne-
rotavit vir eruditissimus Josephus Sea-

(C 4) liger,

liger, Animadvers. in Chronologica Eusebii n. 765. Commemorato levi quodam Hieronymi lapsu, probe monet, non esse idecirco insultandum tantæ auctoritatis viro, qui aliud agens, & ista librario dictans, vocabulum unum minus perfecte reddiderit. *Hoc* faciunt Sciolli bujus ævi, inquit; neque aliud tempus bene collocatum putant, nisi quod maledicendo, obtrectando, columnianando impenditur. Satis illis est minutus quidam error ad damnandum quodlibet opus alioquin numeris suis absolutissimum. Sed de bujusmodi Vitilitigatoriibus non erat hic locus. Hæc Scaliger, qui si ubique moderationem hanc tenuisset, profecto melius & suæ viventis famæ, & apud posteros memoriae consuluisse. Si non nunquam viri sanctissimi humanum aliquid passi sunt, non ideo in publicum a nobis id efferendum, sed prudenti potius dissimulatione operiendum est. Qui hæc evulgant, boni & sapientis viri officio non funguntur, quod sancti cuiusque viri memoriam, uti loquitur Vicentius Lirinensis, Commonitorii I II, tanquam sopitas jam cineres profana manu ventilant, & quæ silentio sepeliri oportebat, rediviva opinione diffamant. Pro potestate doctissimus Veronensium Pontifex, Augustinus Cardinalis Valerius, de Rhetorica Ecclesiastica I 37 suis de-

nun-

nunciat: „Quo loco monemus Cleri-
cos, ne contra sententias SS. Patrum
ad populum audeant dicere; nec,
siquid ab eis, utpote hominibus erra-
tum est, detegere. Oratio-
ne, laudibus, & interdum etiam silen-
tio, sanctissimi viri, lumina Eccles-
iae, venerandi sunt: eorum errores
minime sequendi, dissimulandi tamen,
cum ad populum habetur sermo.“

Sæpius accidit, ut in Patribus elo-
quentiæ desit aliquid, quam rebus 814.
ipsis: Quid si
ubi locum habet animadversio illa M. eloquen-
tia tenu-
Fabii Quintiliani, Institut. Orator. X
I, quæ non magis in Oratores profa-
nos, quam in sacros convenit: „Ne-
que id statim legenti persuasum sit,
omnia, quæ magni auctores dixerint,
utique esse perfecta, Nam & labun-
tur aliquando, & oneri cedunt, &
indulgent ingeniorum suorum volu-
ptati: nec semper intendunt animum,
& nonnunquam fatigantur: cum Ci-
ceroni dormitare interim (i. e. inter-
dum) Demosthenes, Horatio vera-
etiam Homerus ipse videatur. Sum-
mi enim sunt, homines tamen: acci-
ditque iis, qui, quidquid apud illos
repererunt, dicendi legem putant,
ut deteriora imitentur, id enim est
facilius; ac se abunde similes putent,

„ si vitia magnorum consequantur.
„ Modello tamen & circumspecto judi-
„ cio de tantis viris pronunciandum
„ est, ne, quod plerisque accidit,
„ damnent quae non intelligunt. Ac
„ si necesse est in alteram errare par-
„ tem, omnia eorum legentibus place-
„ re, quam multa displicere maluerim.“
Moderationem hanc secutus Abbas Bret-
tevillius, in Eloq. Sacra I 5 confitetur
quidem, negari non posse de primis
Ecclesie Patribus, interdum eos in
usurpandis allegoriis justo longius pro-
cessisse: sed illud, inquit, tempus ex-
cusat: agendum erat enim cum profa-
nis hominibus, vel certe a deorum cul-
tu recentibus, quos nonnulla in Lega
Veteri nimopere offendebant. Sapien-
ter itaque Patres, quidquid alienare
animos poterat, allegoriae velis obte-
gebant, nequid imbecilles detrimenti
acciperent. Quodsi Origenes aliquę
liberalius haec profuderunt, ætatis illius
usui ac desiderio ignoscere nos, sed
imitatione abstinere æquum est. Haec
Brettevillius. Non est profecto no-
strorum temporum consuetudine de no-
stris majoribus judicandum; quemad-
modum nec de Demosthene, vel Ci-
cerone; sed e sua quisque seculo æsti-
mandus. D. Cyrillus Alexandrinus in
epist. ad Acacium seu Achatium Meli-
tinen

tinensem duos hircos ex Levit. XVI
5. . . 21 memorat , & ambos de Christo
interpretatur ; & per eum quidem , cui
libera potestas fiebat in deserta evaden-
di , Domini divinitatem ; per illum ve-
ro , qui pro peccatis populi mactabatur ,
humanam ejus naturam designari ait .
Hodie intolerabilis fieret , si quis ex al-
tiore loco hæc de DEO Homine dice-
ret . Atqui non tantum sapientissimus
hic Patriarcha , qui Concilio Oecume-
nico Ephesino cum incredibili totius
Ecclesiæ plausu præfuit ; sed alii quoque
Patres ritum illum Levitici eodem mo-
do exponunt . Erant nimurum hæc illis
temporibus grata , & omni offensione
arentia : quæ quoniam nunc ad augea
non admittuntur , a nobis silentio præ-
tervehenda sunt : quandoquidem & ipsi ,
qui scripsere , si nostris annis viverent ,
eadem studjose supprimerent , & seculi
fastidia subterfugerent . Ista vero ,
qualiacunque sunt , pauca sunt , si cum
in infinito earum rerum numero conferas ,
quas utilissimas ac disertissime propositas ,
& nostris quoque moribus ætatiique
idoneas in veteribus invenimus . De
unoquoque horum nobis dictum pute-
mus ab Hieronymo : Neque enim ita de-
bemus bona ejus recipere , ut maia quoque
suscipere cogamus . epist . 75 . Itud Hie-
ronymus de Origenè scribit : sed alibi
de

de eodem: *Non imitemur ejus vitia, cuius virtutes non possimus sequi.* epist. 65. Hunc Sancti Doctoris aculeum etiam Hieremias Drexelius figit, mitissimi alioquin scriptor ingenii, in Phaethonte c. 56 § 1: *Multis hic morbus sedet, quod cum ipsi nihil possint, censendis aliis hoc moliuntur, ut aliquid posse videantur. Frustra Risum ferunt, non plausum. Imo in sacris his & venerandis Auctoriibus indignationem in se concitant, qui censuram illiberaliter exercent.* Meminerimus antiqui versiculi:

Siquem laudare non potes, ne vitupera.

Imitari præclare dicta, paucorum est:

Sed facilis culvis rigidi censura cactinni.

Juvenalis satyr. 10.

815.
Quid de
Veteribus
non or-
thodoxis?

Non est abs re, testimonia non quam ex illis etiam auctoriibus petere, qui a sincera religionis doctrina defecere, antiquitate tamen & scientia nobiles, orationi pondus addere, & persuasiōni servire solent. *Non omnia enim, inquit S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in epistola ad Eulogium, Non omnia, quæ dicunt hæretici, continuo vitanda sunt & rejicienda: nam & ipsi pluriūa con-*
fiten-

fuentur, quæ nos quaque profitemur. Quo
Cyrilli loco usus est & Auctor Catenæ
Græcorum Patrum in Joannem, in
procœm. Et sane leguntur in Catena
illia Theodorus Mopsuestenus, Pho-
tius, Severus Pseudopiscopus Anti-
ochenus, & hæresiarcha Apollinarius
Laodicenus. Quocirca fatetur Cate-
næ Auctor seu Collator, ex illis viginti
& uno Patribus & Scriptoribus antiquis,
unde annuli Catenæ hujus connexi
sunt, quosdam hæreseon veneno infe-
ctos esse: se tamen, omisis erroribus,
utilia selegisse ait, & Lectorum com-
modo apposuisse. Quidni locum habe-
re aliquando possint testes hi rei bona
non boni, cum ne Platoni quidem,
aut Senecæ, & Plutarcho, aliisque er-
rorum non minorum magistris, omnis
aditus interclusus sit? Eadem nimium
libertate, qua Seneca de Epicuro,
Orator noster de Seneca eique similibus
dicet: Sumpsi de alieno, non quia alie-
num, sed quia verum est; imo non de
alieno, quia, quidquid verum est, meum
est. Caveret nos tamen jubet Venerab. Ni-
colaus Lancicius Opusc. XIII, quod est
de Offic. Sacerd. III 18, ne Origenem,
Tertullianum, ceterosque veritatis
transfugas, ante vel inter sanctos Pa-
tres nominemus; sed postremo tandem
loco ponendos esse, ut eo etiam ma-

gis

gis eluceat veritas, quæ ne hos quidem latuerit. In censum hunc infelicem paullum refertur Eusebius ille, quem *Emisserum* vulgo appellant, & Arianae impietatis reum agunt. Si de Orientali Eusebo, Emeseno seu Emisseno, sermo sit, vere accusant: sed si eum damnant, qui Homilias elegantissimas & saluberrimas edidit, injuriam viro innocentissimo irrogant. Falsum *Emisseni* nomen, quod male in hunc auctorem a quibusdam collatum est, hanc invidiam ei sine ulla ipsius culpa conslavit. Verum de hoc postea in ipsa recensione Patrum, ubi de Eusebio ex ordine dicendum erit. Ceterum eos, quos aberrasse ab Ecclesiæ regula constat, non utique sanctis & integris Patribus & equiparare audebit Orator attentus, sed eo fere modo tractabit, quo Ludovicus Mamburgus, in Dom. V Quadrages. dicens: *Hic istius loci verus sensus est, ex interpretatione SS. Patrum, & docti Origenis.*

816.
Modera-
tio in testi-
moniis:

Prudentia vetat accumulare Auctorum locos, & profusione quadam eruditioonis sic implicare, ut perturbentur magis auditores, quam doceantur. Suffocatur oratio, si cum sancto illo morum doctore ita ordiaris: „Exercitium præ, „sentiæ DEI, ex recordatione DEI, & ex „brevi-

„ brevibus orationibus, uti vocatur a Cas-
„ siano, seu ut appellatur a S. Augustino,
„ & S. Bernardo, ex brevissimis, & raptim
„ quodammodo iaculatis orationibus
„ contextum: quibus, ut loquitur S.
„ Augustinus, a DEO jaciuntur & sagita-
„ tantur corda, & amor excitatur DE-
„ UM sagittans, & quæ, ut ait B. Lauren-
„ tius Justinianus, sunt opus spiritualis
„ arcus, sanctæ orationis, & sunt sa-
„ gitæ contra adversarios directæ, igni-
„ ta nimirum orationis desideria, &
„ importuna supplicationum vota, quæ
„ a Christi militibus in cælum corde ta-
„ cito destinantur: eminus feriunt,
„ celeriter emittuntur, hostem non si-
„ nunt proprius accedere, & ascenso-
„ rem frequenter unico prosternunt
„ ictu: DEI quippe in illa præsentiam
„ videns, pugnanti illico terga conver-
„ tit has recte appellat Tertullianus
„ orationes sine agmine verborum, &
„ Abbas Isaac apud Cassianum commen-
„ dat, tanquam pura libamina, & sa-
„ crificium verum spiritus contribulati,
„ justitiæ laudis salutarem oblationem,
„ veras ac pingues hostias, holocausto-
„ mata medullata. Hoc, inquam, exerci-
„ tium divinæ præsentiae ab omnibus vi-
„ tæ spiritualis magistris valde laudatum,
„ & a Sanctis omnibus ab ipso mundi
„ exordio frequentatum est. “ Fatigat-

ma-

magis, quam recreat, den̄sa h̄ec eruditio-
nis seges; & obtundit potius,
quam persuadet. Laudatissimus Ama-
deus Bajocensis in Paulo suo Ecclesi-
alte, Parte I l. II c. 4 art. 2 sect. 2
inquit: „Ne frequentiores sint ac lon-
giores citationes: h̄ec enim concate-
natio Patrum videtur potius scenæ
choragium, quam oratio; memori-
am onerat, auditorium tædio afficit,
& eloquentiam nervis ac leporibus
spoliat. Ecclesiastes ergo non sit
„pretiosæ supellectilis prodigus, nec
„etiam nimis parcus; sed exqui-
sitoria, acutiora, breviora, &
aptiora testimonia prudenter ad
„suos usus assumat.“ Quod longiores
citationes respuit Bajocensis, & breviora
solum testimonia recipit, morem suæ
gentis sequitur: paucissima enim verba
latina e Patribus decerpunt Galli, con-
textum lingua vernacula addunt, ac
de suo amplificant. Cum longiores
veterum loci ad usum concionantium
exhibitentur, id non eo sit, ut illos ad
verbum recitandos ediscant, & suam ac
auditoris memoriam gravent, præser-
tim cum maxima præsentium pars latine
non sciat: sed, ut alibi semel atque iterum
monui, copia præbetur & auctoritas,
qua Orator judicio suo utetur, & libe-
re ac lingua patria dicet, quæ ex anti-
quis

quis profutura censuerit, vel solis eorum
 prolatis nominibus, vel si videbitur, his
 etiam omissis. Carolus noster Regius,
 qui in Italia scripsit, Oratoris Christia-
 ni V 7 ait: „ In afferendis SS. Patrum
 sententiis prudens mihi videtur obser-
 vatio cujusdam viri in nostra Societa-
 te gravissimi: ea est, ut, quando af-
 fertur sententia, quæ nihil habeat sin-
 gulare & eximium, sed solum com-
 munem doctrinam, referatur quidem
 nomen tanquam sancti & gravis au-
 toris, quia majorem vim habet; &
 siquidem in ipsis verbis aliquid sit aut
 acutum, aut venustum, quod
 ipsam sententiam illustret magis, &
 in memoriam audientium altius de-
 mittat, ipsa quoque verba afferan-
 tur; si hæc gratia seu vis non insit,
 satis erit sententias vulgari sermone
 referre, idque esse maximum etiam
 memorie levamentum, & temporis lu-
 crum. Poterit enim alio utilius impendi,
 quod fuisset in ediscendis memoriter
 auctorum verbis consumendum. Hoc
 ego consilium valde probo, & ei
 subscribo libenter: idque hoc loco
 adscripsi, quoniam expertus sum ple-
 rosque Concionatores in hoc pluri-
 mum laborare, ut multas auctorita-
 tes latine pronuncient, etiamsi nihil
 contineant nisi communia quædam:

„ fortasse libenter id præstant, ut mi-
„ raculum memoriæ suæ faciant, & no-
„ men eruditorum consequantur apud
„ indoctam plebem, & rudes homines,
„ qui judicant eos viros esse valde
„ doctos, quod lingua loquantur, quam
„ ipsi non teneant, & obstupescunt,
„ quod memoriter tam multa pronun-
„ ciantur, quorum ipsi ne minimam
„ quidem partem possint complecti.
„ Illud etiam addo, ne sit valde scru-
„ pulosus in citandis minutis numeris,
„ cum sæpe possit esse contentus indi-
„ castæ auctorem, & librum, præsertim
„ cum plura loca citantur, & res non
„ est eximia.“ Quid autem sentien-
dum de illis, qui cum splendidissimo
Peikharto testimonia latina universa
eliminant, nec solorum Ecclesiæ Patrum,
sed ipsius etiam Vulgatæ sententias ger-
manice promunt? Evidem hæc sermo-
nis æquabilitas Græcis & Romanis ve-
teribus placuit, quorum orationes uni-
us linguæ filo perpetuo contexuntur:
neque M. Tullius aut L. Annæus Græ-
corum dicta græce, sed latine versa suis
interponunt. Quod sanctis quoque
Patribus & Scriptoribus Ecclesiasticis
omnibus usitatum fuit: nunquam enim
Græci Divinæ Paginæ testimonia he-
braice, vel chaldaice aut syriace reci-
tant; nunquam Latini vel Novæ Legis
Aucto-

Auctores Divinos, vel Antiquæ Interpretes LXX, quibus multi passim utuntur, græce loquentes introducunt. Neque Patrum posteriores, cum priorum testimonia recitant, etsi Græcorum, aliter quam latino sermone id faciunt. Idem an sectandum sit nobis, loci ratio & consuetudo, maximeque auditorum conditio & voluntas determinabit.

Sed illud omni hominum statui locoque commune est, quod sapienter & ex ipsa rei natura monet præceptor diligens e sacro Eremitarum D. Augustini Ordine, Valerianus Zellnerus, P. I Rhetor. Sacræ Q. VI c. 2 de SS. Patribus loquens: *Advertendum, ut castus sensus proferatur, non alienus, non tortus, non tantis Patribus indignus.* Quam enim causam, non dico in templo, sed vel in foro, testimonia ficta non affligant potius, quam communiant? Non exigui nominis Orator in Gallia, quem plures alibi quoque secuti sunt, urget Christianum peccato illaqueatum, allatis Ambrosii verbis, de Pœnitentia II 10: *Facilius autem inveni, qui innocentiam servaverint, quam qui congrue egerint pœnitentiam.* Videto, obsecro, quam vim hoc argumentum habeat. Innocentiam perpetuam esse decus rarissimum, proh dolor! experientia nimio plus demonstrat. Quapropter & in sanctorum ho-

817.
& veritas
ac fides.

quium rebus gestis historia id ut singula-
lare ornamentum commemorat, si quis
eorum primam a sacro fonte integritatem,
usque ad vitæ metas conservatam,
sepulcro intulerit. Tu vero, qui
in hanc sententiam concionaris, an
hac ratione populum ad pœnitentiam
allicis, an absterres? Allicio, inquis.
Id quidem est officii, id etiam propositi
tui. An ipse tibi obstat non sentiens:
nam si tenere innocentiae cursum omni
ætate perpauci potuere, pœnitentia
vero etiam ipsa innocentia rarius
invenire est, vide, quo homines adi-
gas: quod enim est rarissimo rarius, id
se consecuturos plerique desperent
necessus est. Adeo ista docendi severitas
nonnunquam ipsa se implicat & cir-
cumscribit. At Ambrosius dixit. Opti-
mus auctor Ambrosius: sed auctori
optimi tu malus interpres es. nunquam
ille intellectus tibi, quia fortasse nec
unquam lectus Non ibi lermo est Doctori
sanctissimo de ea pœnitentia, quæ ad sa-
bitum adipiscendam est necessaria; sed
deplenissima & uberrima, quam non
leges imperant, verum resipiscentis
animi fervor extorquet: poscit enim I-
di a pœnitente, ut honores ac dignita-
tes non ambiat, ut viho abstineat, ut
jure conjugii ne utatur, ut somni spatia
contrahat, ut suspiriis diuturnis indul-
geat.

geat. Quæ consilii esse, non præcepti, his præsertim nostris temporibus, quis ignorat? Auditores vero, cum de pœnitentia tam atrociter minitantem audiant, eam nimirum concipiunt animo, quæ secunda post naufragium tabula, & unica spes infelicitum est, nisi mergi & interire velint. Male igitur terroris hujus auctor Ambrosius nominatur, qui non magis hanc pœnitentiaæ necessitatem, quam illud ejus exemplum affirmat, quod ex eodem loco multi pertinent. Ajunt enim, juvenem nescio quem, amores impuros denique detestatum, occurrenti amicæ, dicentique, *Ego sum*, rotunde ac fortiter respondisse, sed ego non sum ego. Hanc illi historiam Ambrosio l. d. assignant: cum ipse narrationem hanc totam ad fabulas amandet, palam ita professus: *Quendam adolescentem fabulæ ferunt post amores meretricios, & quæ sequuntur.* Eadem scilicet libertate hi abutuntur Ambrosii nomine, quæ doctrinam omnino falsam ex eodem constabilire alii aggressi sunt de mysterio pœnitentiaæ. Viri duo maximi, in Theologia alter, alter in Jure Pontificio famæ præcipuæ, docere non dubitarunt, sacerdotem in arcano judicio non absolvere pœnitentem, sed tantum a DEO absolutum pronunciare: atque hujus erroris tam fœdi patronum D. Ambrosium in ope-

re de Cain & Abel II 4 finixerunt. Ab-
stineo nominibus, quibus non pepercit
solers & peritus Criticus e celeberrima
D. Dominici familia, Sixtus Senensis,
Bibliothecæ Sanctæ I. V annotat. 62,
ubi, prolatō eorum falso testimonio, ita
pergit: „ Verisimile est, vel alterum ab
„ altero, vel utrumque ab alio quoipam
„ Rhapsoda, ut Sententiariorum mos est,
„ excerpisse hunc locum, haud inspecto.
„ Ambrosiano codice: in quo hæc verba
„ sensu prorsus diverso, imo etiam con-
„ trario leguntur, in hunc modum: Re-
„ mittuntur peccata per DEI verbum, cu-
„ jus Levites interpres est, & quidam exe-
„ cutor. remittuntur etiam per officium
„ Sacerdotis, sacramque ministerium.
„ Quæ sane verba idcirco Ambrosius
„ protulit, ut ostenderet, non solum DE-
„ UM, sed etiam sacerdotes peccata re-
„ mittere: sicut etiam apertius id ipsum
„ explicavit I. I de Pœnitentia c. 2 inqui-
„ ens: Qui Spiritum Sanctum accipit, &
„ solvendi peccati potestatem accipit &
„ ligandi: sic enim scriptum est: Acci-
„ pite Spiritum Sanctum: quorum ro-
„ miseritis peccata, remittuntur eis;
„ & quorum retinueritis, retenta erunt.
„ Ergo qui solvere non potest pecca-
„ tum, non habet Spiritum Sanctum.
„ Munus Spiritus Sancti est officium Sa-
„ cerdotis, jus autem Spiritus Sancti in
„ sol-

, solvendis ligandisque criminibus. Hæc
,, ide animadvertenda existimavi, ut
,, Ambrosium ab hac suspicione vindi-
,, carem, simulque eos admonerem,
,, qui Rhapsodis, Compendiariis, &
,, Summis admodum delectantur, ne
,, graventur interdum a rivulis ad fon-
,, tes reverti, & ipsas Patrum senten-
,, cias apud auctores suos exquirere, &
,, diligenter expendere. plerumque enim
,, accidit, ut abbreviatores & collecto-
,, res vel ex incuria, vel ex obliuione,
,, vel ex nimio brevitatis studio colli-
,, gant aliorum sententias aut mutilas,
,, aut interruptas, saepe transpositis ver-
,, bis, saepe etiam usque adeo immuta-
,, tis, ut ex his novus ac plane diversus
,, sensus oriatur. Hæc autem dicta sint,
,, non ut horum labores damnem, quos
,, toties superioribus libris commendata-
,, vi; sed ut studiolos lectors reddam
,, multo diligentiores ac solertiores. “Egregius quidam Orator, ut Parthenios
suos ad litterarum curam ac diligentiae
singulare decus inflammet, Origenis
exemplum ostendit, quem ait sex millia li-
brorum scripsisse, eosque omnes a se per-
fectos D. Hieronymum testari. Scio, hoc
ipsum, addito etiam Hieronymi testimo-
nio, sed nullo voluminum ejus indicato
loco, tum apud Historicos, tum in Asce-
tarum libris reperiri. Sed ipsius Hierony-
mi

mi verba percipiamus, qui de Origene quidem s^epe, de numero autem scriptorum ab eo commentariorum bis omnino mentionem facit, in epistola ad Theophilum, contra errores Joannis Hierosolymitani, &c. II adversus Rufinum. Utrobiusque inficiatur de lectis sexies mille libris seu tomis Origenis: hoc enim nomine Origenes libros libellosque suos appellare consuerat, gr^aeco more ac sensu, quasi latine *selectiones* dicere mus. Quid Hieronymus de immani hoc numero? Ad Theophilum ita scribit: *Sex millia Origenis iomos non poterat quisquam legere, quos ille non scripsit.* Adversus Rufinum quoque idem affirmit, addens: *Numera indices librorum ejus, qui in tertio volumine Eusebii, in quo scripsit vitam Pambili, continentur: Et non dico sex millia, sed tertiam partem non reperies.* Quid cogitari dissimilius & alienius potest? Hieronymus dicit, Origenem scripsisse sex librorum millia: Hieronymus negat, vel tertiam horum partem numerari. Hieronymus testatur, sibi lecta sex ejus millia; Hieronymus negat potuisse legi, quoniam auctor non scripsit. Huc devolvuntur persaeile, qui testimonii credunt in aere volitantibus, ut Galli nuncupant (*citations en l' air*); cum solum auctoris nomen, sine operis inscriptione, sine libri capitisque numero venditatur. Imponit memoria scriptoribus etiam laboriosis & eruditis,

effliduntque multa eorum, quæ suis oculis
legerant. Religiosissimus ille ac doctissi-
mus Hispanus in librorum suorum præ-
stantissimo ita narrat: „Heron post vi-
„tam ad summum perfectam, & immodi-
„cæ virtutis, post labores, sudores, ab-
„stinentias, & mirabilia multa, nam non
„nisi post tres menses cibum herbarum
„sylvestrium gustabat, contentus interim
„& saginatus sanctissimo Christi corpore;
„graviter tandem lapsus frequentabat ta-
„bernas ebrietati deditus, & postmodum
„luxuriæ.“ Narrationis hujus parti prolo-
ri posterior non respondet, sed tanquam
in poetico Tritone, qui Neptunum tubi-
cen anteit, horrida facies & hispidum pe-
etus in pisces desinit, mixto e duobus
corporibus non integris monstro. Heron-
is casum testis recenset omni exceptio-
ne major, Moyses Abbas, apud Cassianum
Collat. II 5. „Recolite id, quod nuper ge-
„stum oculorum vestrorum vidistis obe-
„tutibus, senem videlicet Heronem
„ante paucos admodum dies illusionem
„diaboli a summis ad ima decessum,
„quem quinquaginta annis in hac era-
„mo commoratum, singulari districcio-
„ne rigorem continentiae tenuisse mo-
„minimus, & solitudinis secreta ultra
„omnes hic commorantes miro fervore
„re sectatum Siquidem tanto
„rigore inimitabilem jejunii continere

(D5) „tiam

, tiam semper exercuit, & solitudinis
, cellæque ita jugiter secreta secessatus
, est, ut ab eo participationem ineun-
, di cum fraternitate convivii nec vene-
, ratio quidem diei paschalis aliquando
, potuerit obtinere: in qua fratribus cun-
, quis pro anniversaria solemnitate in
, ecclesia retentatis (i. e. retentis) solus
, non potuerit aggregari, ne quantulum:
, cunque perceptione leguminis parvi a
, suo videretur proposito relaxasse. Quia
, præsumptione deceptus, angelum fa-
, tanæ velut angelum lucis cum summa
, veneratione suscipiens, ejusque præ-
, ceptis prono obediens famulatu, se-
, metipsum in puteum, cuius profun-
, ditatem oculorum non attingit intui-
, tus, præcipitem dedit, de angeli vi-
, delicit sui sponsione non dubitans,
, qui eum pro merito virtutum ac
, laborum suorum nequaquam posse fir-
, maverat (seu affirmaverat) ulli jam
, discriminis subjacere. Cujus rei fidem
, ut experimento suæ sospitatis evi-
, dentissime comprobaret, supradiicto
, se puteo nocte intempesta illusus in-
, jecit, magnum scilicet virtutis suæ
, meritum probaturus, cum inde exisset
, illæsus. De quo cum pæne jam exani-
, mis ingenti fratrum labore fuisse ex-
, tractus, vitam die tertia finitus:
, quod deterius est, ita in deceptionis

,, suæ

, suæ obstinatione permanxit, ut ei
„ne experimento quidem mortis suæ
„persuaderi potuerit, quod fuisse dæ-
„monum calliditate delusus.“ Tam
infida, tamque volatrica res est memo-
ria, ut optimos quoque Scriptores de-
ceperit. Ovem in avem mutat, faci-
liore ac viciniore literarum, quam cor-
porum Metamorphosi. Augustinus,
ita quidam scripsit, Augustinus ait:
Ostende volucri ramum viridem, &
volando te sequetur, quocunque præ-
cesseris. Non erat opus, ingentia Au-
gustini volumina adire, ut ad verita-
tem perveniret: sacerdotalis Breviarii
Lectiones suggerere poterant, Hippo-
nensem Tract. XXVI in Joanh. dicere:
*Ramum viridem ostendis ori, & trabis il-
lam.* Sed quis non facile ignoscat viro
in Nova Regno inter Americanos scri-
benti, & inter sexcenta negotia de Au-
gustino non satis recogitanti, cum Au-
gustinus ipse de se pro summa sua mo-
destia aberrationem quandam memorie
ingenuæ confiteatur? Sic enim Retra-
stationum suarum II 42 suum ipse opus
De Natura & Gratia notat: *In quo ver-
ba quadam, quæ velut Sixti Romani Epi-
scopi & Martyris Pelagius posuit, ita defen-
di, tanquam re vera ejusdem Sixti essent:*
*id enim putaveram: sed postea legi, Xysti
philosophi esse, non Xysti Christiani. Contra*
Julia-

60 LIBER XI. PARENTES

Julianum quoque Pelagianum V 14 historiam narraverat Augustinus de Dionysio Siciliæ tyranno. e Sorano hau-
stam, qui a sancto Patre auctor nobilissi-
mus dicitur. At Retractat. II 152 cave-
re lectorem jubet his verbis: In hujus
tanti tamque elaborati operis quinto volumine,
ubi commemoravi (repetit hic bre-
viter narrationem) nomen hominis, qui
bot facere solebat, quasi certum posui, cum
sit incertum: quia memoria me fefellit. So-
ranus enim tradit, eum regem quen-
dam Cyprium fuisse: pro quo Siculum
Dionysium Augustinus substituit. Ipsi
Augustino nomenclationem Jesuitæ assi-
gnant Ascetæ duo, Hibernus & Polo-
nus, ambo etiam in Germania probe
noti, & sponsorem pro se nominant
Ludolphum Saxonem, voluti Augusti-
no Tract. II in Epist. Joann. hæc ver-
ba tribuentem: Ut enim per gratiam ba-
ptismalem a Christo dicuntur Christiani, sic
in cœlesti gloria a JESU dicemur Jesuitæ.
Totum Augustini volumen in Joannem
excute, nihil de Jesu invenies. Ipsi-
us Ludolphi Saxonis hæc est sententia,
in Vita Christi Parte I c. 20, ubi reli-
giolissimus hic Ordinis Carthusiani scri-
ptor, duobus ipsis seculis Societate JE-
SU prior, hoc Paradoxon posteritati
reliquit: Nomen Christus, est nomen gra-
tiae: sed nomen JESUS, est nomen gloriae.

Sicut

Sicut enim hic per gratiam baptismalem a Christo dicuntur Christiani, sic in celesti gloria ab ipso IESU dicemur Iesucae, id est, a Salvatore salvati. Longum sane intervallum ab Augustino ad Ludolphum: sed locupletior scilicet erat Augustinus certis, quam Carthusiae Argentinensis Prior. Illi quoque auctoritas potior visa est, quem praे manibus habeo, Concionatorem non aspernandum, si narratae a se historiae testem adderet Sanctum Patrem Cæsarium. Atqui ea res, pluribus seculis post Sanctum Patrem Cæsarium gesta, scribi ab eo non potuit; sed legitur apud Cæsarium Heisterbaccensem, qui a S. Cæsario Arelatensi tam loco ac tempore, quam vitæ lata, longe diversus est. Orator aliis, Cisalpinus, cum Tertulliani locum e libro ad Scapulam affert, scripsisse hoc eum ait in literis ad cognatam Scapulam exaratis. Fefellit Incautum nominis terminatio, ut Scapulam crederet feminam, eamque intrepide in Tertulliani propinquitatem insereret. Si librum ejus respexisset, Scapulam fuisse Praefectum urbis Carthaginis didicisset. Ex his, aliisque non melioribus exemplis liquide perspicitur, posse multos casus incidere, in quibus sine omni Patronum & Scriptorum veterum notitia Oratoris Sacri dignitas, ipsaque venitas conser-

servari non facile possit. Cognitione
hac si imbutus fuisset bonus ille morum
magister, non se exposuisset literati or-
bis ludibrio, de quo Andreas Pintus
noster, dictus cognomine Ramires,
Spicilegii Sacri Tract. I c. 51 § 5 n. 4.
Legerat ille in eruditissimo Andrea Ti-
raquello locum sibi idoneum, sed cu-
jus auctor primis tantum literis designa-
batur: compendii enim gratia, uti sæ-
pe fit, Tiraquellus ita scripserat: *Her.*
in Eut. Hoc veluti Sphingis ænigmā
cum apud sc̄ versasset anxie sacer ille
Oedipus, pro sua e SS. Patribus erudi-
tione, quam præclaram fuisse res
ipsa ostendit, feliciter eruit *Hieronymum*
ad Eustochium: cum profanus historicus,
Herodotus in Euterpe, testis a Tiraquel-
lo productus esset. Ridiculum erro-
rem, in quo ne ipsæ quidem litteræ,
nedum res congruebant, venia dignum
Tiraquellus non putavit, sed eum una
cum auctoris nomine luci publicæ obje-
cit: neque Pintus hominis nomen si-
lentio texit. Nihilo peritior fuit ille,
qui doctissimi Jacobi Gretseri nostri lo-
cum T. I de S. Cruce l. I c. 32 in hunc
modum deformavit: *Corpora eorum, in-*
quit Ulpianus, qui capite damnantur, co-
gnatis ipsorum neganda non sunt: & id se-
etiam obseruasse D. Augustinus libro X de
vita sua scribit. Quid Augustino cum
dam-

damnatorum corporibus? qui neque
judex fuit unquam, neque ultimo sup-
plicio quemquam affecit. Unde vero
liber decimus Vitæ Augustini, ab ipso
scriptæ? nec enim Vitam, sed Con-
fessiones edidit: nec earum libro X
vestigium ullum visitur carnificis aut
cadaverum. Ulpianus denique de Au-
gustino seculo ante sesquialtero num
vaticinatur? Ulpiani verba mutuatus
est Gretserus ex L. Corpora ff. de Cada-
veribus punit. ubi Divus Augustus no-
minatur: quem libros XIII de sua Vita
literis consignasse, testis est Suidas in
Augusto. Atque ita Gretserus scripsé-
rat, & ita lego in antiquissima editione,
curata A. 1598 Ingolstadii, ubi auctor
vixit. Iste vero, tam legum ac tem-
porum, quam Patrum gnarus, unius
syllabæ beneficio Augustum consecra-
vit, & littora littoribus contraria in-
ter se jungens, Roma in Africam eum
transvexit, ut in Pontificum collegi-
um adoptaret. Præsens interfui, cum
in Panegyrico quodam seculari candi-
dissimus senex dictorum testem citavit
Macrobius Saturnalem, addito etiam li-
bri numero, tanquam e SS. Patrum
choro in illum læticiae publicæ concen-
tum adducens auctorem profanum, cu-
jus neque nomen, neque libros norat.
Margo eum in errorem induxit, in quo
ascrit-

ascriptum erat: *Macrobi. Saturnal.* i. e. Macrobius in *Saturnalium libris*. Unde vir minime callidus bona fide conjectit, Sanctum quendam Macrobius, Episcopum aut Abbatem *Saturnalem*, sententiam illam suam posteritati reliquisse. Quasi diceret, *Cicero Tusculanus* libro II, vel *Virgilius Aeneides* l. X. vel etiam, quod in sacro quodam monumento, eoque nobilissimo, a me lectum est: *Abenaeus Dipno in l. XV Sophistarum*. intellige librum ultimum *Dipnosophistarum* Athenæi, græci philosophi, quem latine a se versum Natalis a Comitibus Venetus, & melius Jacobus Dalechampius, altero abhinc seculo vulgavere. Nuper admodum in manus venit *Orator Italus*, moribus perutilis, nec elegans, germanica interpretatione donatus. Is illustrem sententiam verbis latinis exordio cuidam suo illigarat: *Panam de adversis mundi ille sentit, cuius & letitia, & gloria omnis in mundo est*. Cujus esset hoc dictum, auctor Italus ad oram libri strictim indicarat, una tantum & altera syllaba contentus. Quid Interpres faceret? divinationi suæ relitus, tandem exudit S. Cyriacum ad Demet. nec enim longius procedere ausus est, quod non constaret, utrum ad *Demetrium Cyriacus* ille, an ad *Demetrianum* scripisset. Utrumque a veritate desciscit: nul-

nullus enim est e Patrum numero S. Cyriacus, qui sive ad Demetrium, sive ad Demetrianum scribat. Sed apophthegma illud memorabile debetur S. Episcopo & Martyri Cypriano, qui libro ad Demetrianum Africæ Proconsulem, mihi c. 7, id inseruit. Prolapsionum hujusmodi in afferendis auctorum testimoniis tanta est copia & varietas, ut Petrus Marchantius, e sancta Seraphicorum familia, in Epilogo Tribunalis Animarum, rotunde confiteatur, absterritum se tam incertis & fallacibus semitis, toto suo volumine alienis testimoniis supersedere maluisse. Memoratu digna sunt verba: „Dixero enim, „salva multorum Auctorum reverentia, „communiter vix ex decem aut viginti „citationibus Auctorum duas vel tres „per omnia fidas inveniri; ita ut casso „conatu plures saepe perdiderim horas, „ut locum Auctoris a pluribus citatum „reperiрем.“ Cui vero aut necessarium, aut collibitum est, veterum auctoritate sermonem suum fulcire, vel expolire; eum oportet meminisse consilii, quod Matthæus noster Raderus, vir in eruditionis palæstra experientissimus, in Viridario Sanctorum Parte III c. 3 § 5 subministravit: *Parum juvat alienis oculis credere, minus auribus, minime omnium calamo.*

CAPUT IV.

Recensio Patrum & Scriptorum Ecclesiasticorum, ordine alphabeti.

A — D.

818.
Errorum
occasio-
nes.

Ne tuis quidem oculis semper tuto credideris, adeo periculorum, & anceps hoc literaturæ genus est. Etsi enim fontem ipsum adieris, & sacri tui Scriptoris verba ex ipso petieris: fieri tamen potest, ut & ipse fallaris, & auditores tuos splendide fallas. Erroris hujus occasio multiplex e variis editionibus nascitur, in quibus inscriptiones falsæ passim occurrunt, & libri aliaque minora opuscula alienis auctòribus tribuuntur. Cur autem tam multa, præsertim in editionibus paulo vetustioribus, in publicum provolarint *pseudepigrapha*, seu ementitum auctòrem in fronte præferentia, non una causa est. Duas potissimum assignat laudatus a me supra Sixtus Senensis Bibliothecæ Sanctæ l. IV prope finem, errorem, & fraudem. „ Ad errorem & imprudentiam spectant Nominis æquivocatio; „ Argumenti, aut Styli consensio; Per- „ sonarum, quibus, vel a quibus ope- „ ra dedicantur, similitudo; Inscriptio- „ nis quoque, ut jam dixi, defectus;

„ &

„ & Inscriptio[n]is, exercitii gratia, simula-
 „ latio. Ex Aequivocatione frequen-
 „ ter usu venit, ut nominum, vel co-
 „ gnominum, vel titulorum affinitas
 „ præbuerit ansam errandi, sicut olim
 „ Rufino, Aquilejæ Presbytero: qui
 „ vocum similitudine deceptus, Enchi-
 „ ridion Xysti Pythagorici Xysto Pon-
 „ tifici inscripsit; & Pamphili Eusebii
 „ pro Origene Apologiam Pamphilo
 „ Martyri Origenis studio attribuit.
 „ Erasmus, consimili errore ductus,
 „ Commentarios Arnobii Presbyteri in
 „ Psalterium Arnobio Rhetori floren-
 „ tissimo tradidit. Ex hac deceptione
 „ contigit, ut non pauca Thomæ An-
 „ glici opera Thomæ Angelico Doctori
 „ data sint. Ex Inscriptio[n]um quoque
 „ omissione, ac Titulorum fictione ali-
 „ quoties, quemadmodum supra mo-
 „ nuimus, accidit, ut parum eruditii
 „ lectors, vel tumultuarii scriptores,
 „ libros Titulo destitutos tini magis,
 „ quam alteri conjicant inscribendos;
 „ & Exercitationes, simulata Inscriptio-
 „ ne compostas, eorum esse putent,
 „ quorum fictios titulos præferunt.
 „ Styli etiam similitudo, aut Argumen-
 „ ti communitas, aut eorum vicinitas,
 „ ad quos, vel a quibus scripta emit-
 „ tuntur, non raro efficiunt, ut stu-
 „ diosi in discernendis libris, ob varios

„ casus Inscriptione carentibus , nomen
„ ascribant non ejus , cuius est opus ,
„ sed cuius esse suspicantur , vel quod de
„ re simili , vel quod ad eosdem , vel quod
„ simili stylo ac methodo scripsicerit alius.
„ Rursum fit interdum , ut libra-
„ rius aut studiosus aliquis ob materiam
„ operis non dissimilem diversorum au-
„ torum libellos eodem copulet volu-
„ mine ; deinde parum attentus lector ,
„ aut non reperiens ascriptos titulos ,
„ aut oblitteratos offendens , ejus putet
„ omnia , cuius nomen in frontispicio
„ voluminis conspicerit . Sunt e diver-
„ so , qui data opera per fraudem &
„ dolum inscriptiones depravent , &
„ immutent , idque ob varios , sed pes-
„ simos fines . Alii utilitatis , quæstus ,
„ ac turpis lucri gratia , ceu sunt vo-
„ lumen scriptores , impressores ,
„ institores , ac venditores : qui vulga-
„ rium , & interdum quoque obscuro-
„ rum hominum partus nobiliorum au-
„ torum titulis coronant , nimirum ta-
„ li fuco stultam festinantium empto-
„ rum credulitatem aucupantes .“ Enu-
„ merat deinceps pravarum hæreseon pa-
„ tronus , qui libros a sectæ suæ magistris
„ compactos illustrium virorum nominis
„ insigniunt ; corniculas Aesopias ,
„ furtivis plumis se vestientes , & alienis
„ operibus sua nomina insribentes ; ini-
„ micos

micos & calumniatores, corruptis pra-visque scriptis idcirco tantum viri celebris nomen præfigentes, ut sempiter-na eum infamia commaculent; clientes amore nimio captos, qui adamato au-tori quoscunque labores vendicant, ut, quo fertilior, eo major fuisse vi-deatur. Cuique harum classium exem-pla assignat; Pneumatomachos, Divini Spiritus inimicos, qui pestiferum librum, errori suo faventem, D. Cypriani Epi-scopi nomine illeverunt; Joannem Gastium, qui Bartholomæi Urbinatis Collectanea Veteris Novique Instru-menti, altero ante ipsum seculo ex Augustino laboriosissime contracta, per incredibilem impudentiam sibi ar-rogavit; hostes Origenis, a quibus in-famatum se ipse queritur disputationi-bus impiis sub suo nomine divulgatis, se minime conscio, & ab illis opinio-nibus longissime abhorrente; nonnullos denique D. Thomæ Aquinatis amatores, qui ut ejus gloriam amplificarent, Ex-egetica in quasdam Divini Codicis par-tes illi affinxere, cum cæteris ejus scriptis nec eruditione, nec judicii acumine conferen-da. Quapropter immortales gratias debere se fatetur literatus orbis Ven. Roberto Bellarmino, qui in suo De Scriptoribus Ecclesiasticis libro certa eorum opera a dubiis, vera a falsis.

maximo studio iacrique judicio separavit. De quo Philippus Labbeus in præf. ad suum ejusdem Auctarium jure optimo scripsit : *Opusculum illud, quo baud satis scio an alterum bisce nostris temporibus extiterit fructuosis, & studiosorum omnium profectui accommodatius.* Sed quia fieri non potuit, ut unum virum, præsertim tot aliis curis laboribusque districtum, non quedam effugerent : Supplementum addidit Oudinus, multoque liberalius & accuratius Auctarium is ipse, quem modo dixi, Philippus Labbeus. Nec minorem his laudem promerita est Antonii Possevini in Apparatu, & Sixti Senensis in Bibliotheca, sagax industria. In ejusdem honoris partem veniunt illi, qui sive totam Patrum Bibliothecam & Anecdotorum volumina, sive singulos ex eorum numero, cum doctissimis animadversionibus edidere. Quibus omnibus quia plurimi Lectorum meorum instructi non sunt, & paucissimi tempore sic abundant, ut eorum judicia legere ac dijudicare possint: colligere mihi visum est in breuem Indicem, & Subsidiis his inserere, quæ ad hoc institutum potiora vel a me ipso per annos permultos, vel ante me ab aliis observata sunt.

819.
Stylus ^{en} Inter alias Criticorum notas, quarum ope veros librorum veterum parentes

rentes dignoscere conantur, etiam sty- certum
lus est: de quo singulatim inferenda auctoris
mentio visa est, quod nequaquam apud indicium.
Omnes in eodem pretio sit. Plerorum-
que hæc est opinio, & pæne consen-
sus, ut e manu formaque literarum,
quem characterem vocare solent; ita
e styli similitudine, vel differentia,
scriptorem agnosci posse. Regulam ta-
men hanc expludit acuti ingenii vir
Theophilus Raynaudus, Operum T.
XI, in Erotematis de Malis ac Bonis
Libris, Partit. I Erotem. 10 § 2, ubi
de quodam opere agit, quod D. Au-
gustino a multis tribuitur, ab Erasmo
Roterodamo autem propter styli dissi-
militudinem eidem abjudicatur. Ray-
naudus contra per contemptum rubri-
cam Erasmicam appellans inquit: *Quid*
vero tricamur contra stylum, nimium quan-
tum fallacem sæpen numero in abjudicandis ope-
ribus vero parenti, rubricam Erasmicam?
Sed nihilo secius, Erasmi argumento
permoti, eundem librum Augustini esse
inficiati sunt Bellarminus, Possevinus,
Theologi Lovanienses, & Parisini, qui
omnes considerate admodum & mode-
ratissima cum circumspectione de re
pronunciant, *nihil rubricam Raynaudicam*
morari, ut facete ait Daniel Papebro-
chius, in *Respons. ad Exhibit. Erro-*
rum, P. II art. XIII § 4. Passim certe
(E 4) a do-

a doctissimis viris , & Criticis tanto no-
mine dignis, in dijudicandis operibus
veterum , etiam profanorum , hanc re-
gulam feliciter adhibitam esse constat.
Fuere olim , qui in Thucydidis Histo-
ria de Bello Peloponnesiaco librum
octavum ad Xenophontem auctorem
referren;. Opinionis vanitatem stylus
redarguit , penitusque fidem fecit , de-
cipi eos , qui librum ejus Operis ulti-
mum seu octavum Thucydidi admant ;
ut auctor incerti nominis , sed antiquissi-
mus , in Vita Thucydidis græca scrip-
psit. Marcellinus quoque in suo de
Thucydidis Vita commentario , ubi de
libro ejus octavo incidit mentio , in-
quit : *Xenopontis autem nequaquam esse ,*
libri character tantum non clamat : nimio-
pere enim , ut ibidem Marcellinus per-
git , inter se distant summa illa Thucy-
didis excelsitas , & lenissima Xenophon-
tis tenuitas. Contra vero Elegiam de
Philomela , P. Ovidii Nasonis Operi-
bus nescio quare aut a quo agglutina-
tam , ejus nitore , ingenio , elegantia
prorsus indignam esse , una voce con-
clamat omnes , qui Musas vel a limine
salutarunt. Neque inter M. Fabium
Quintilianum & C. Cornelij Tacitum
hæsitabit , qui in Dialogo de Oratori-
bus sive de Causis Corruptæ Eloquen-
tiæ stylum paulo attentius considerarit:
totum

totum enim dicendi genus , a suspensa
& prærupta Taciti asperitate alienissi-
mum , planum & explicatum Quintilia-
ni ornatum præ se fert , iisdemque om-
nino sententiarum insignibus distingui-
tur , quæ in Oratoriis Fabii Institutio-
nibus eminent . Illud tamen extra con-
troversiam ponendum est , quod peri-
tissimus antiquorum voluminum Joa-
nes Mabillonius celeberrimi Ordinis S.
P. B. Parte II de Studiis Monast. c. 13
docte observat ; occurere non raro in
eodem scriptore magnam styli inæquali-
tatem , si diversi ejus libri inter se con-
ferantur ; cum sæpe quædam exquisito
studio perpolita sint , alia mediocri ge-
nere scripta magisque popularia , quod
in SS. Patrum Homiliis frequenter acci-
dit . Quin etiam , inquit , idem auctor
a se ipso per æstatem abit , & aliter se-
nex scribit , quam juvenis consueverat .
Vicissim interdum ait magnam interce-
dere styli affinitatem inter auctores ejus-
dem temporis , quos græco nomine
synchronos vocant ; inter discipulos , &
magistros ; inter auctores priores , eo-
rumque imitatores ; exemplo esse Ni-
colaum Claravallensem , qui D. Bernar-
di stylum egregie æmulatus est ; idcir-
co gustatu exquisito esse opus ei , qui
subtilia & minuta hæc discrimina depre-
hendere sine errore velit ; denique in

(E 5)

casu

casu difficultiore alias præterea notas & signa a stylo distincta desiderari, quæ litem dirimant. Nihilominus huic Mabillonii effato addere tuto possumus, argumentum a stylo petitum, si perite ac scienter rei adaptetur, plerumque controversiam componere. Sic ut enim oris lineamenta & vox ætate procedente mutantur, & in parentibus ac liberis permagnam sæpe habent similitudinem; non facile tamen hominem mestorem & acuto visu teretique aure præditum fallunt: ita stylus in senio fere non ita degenerat in ingeniosis optimis, nec imitatores exemplar suum usque adeo assequuntur, ut attentus & perspicax lector a vero iudicio abducatur.

820.
De libris
collecti-
viis.

Solertibus Patrum lectoribus non est infrequens, ut, quod hodie legunt, jam pridem in alio verbis totidem aut simillimi scriptum se reperisse meminerint. Certumne id iudicium est, alteri e duobus his Scriptoribus eam sententiam falso tribui? Evidem sæpe hic librariorum culpa vitiatus est liber, cum sententiam, a viro erudito in margine ascriptam, ipsi per imprudentiam velut auctoris verba in libri contextum inseruere. Sed illud etiam deprehendimus, Scriptores Ecclesiasticos posterio-

rum

rum temporum a prioribus nonnulla
mutuatos esse, interdum vero eorum
aliquem aut plures dedita opera in bre-
vem epitomen aliumve ordinem rede-
gisse. S. Isidorus Hispalensis Etymo-
log. VI 6 hæc habet: „Apud Græcos
„Origenes in Scripturarum labore tam
„Græcos, quam Latinos, operum suo-
„rum numero superavit. Denique
„Hieronymus sex millia librorum ejus
„se legisse fatetur. Horum tamen om-
„nium studia Augustinus ingenio vel
„scientia sua vicit. Nam tanta scripsit,
„ut diebus ac noctibus non solum scri-
„bere libros ejus quisquam, sed nec
„legere quidem possit.“ Totum hunc
locum Hugo Victorinus Eruditionis Di-
dascalicæ IV 14 nulla facta mentione
Isidori exscripsit, ultimam solum par-
tem ita mitigans: *sed ne legere quidem ac-
curate valeat.* De sex millibus librorum
Origenis dictum paulo ante, N. 817.
Hugonem Isidorus traxit: Isidoro for-
tassis imposuit fragmentum illud, quod
etiam nunc in Hieronymi Operibus To-
mo IX extat: in eo enim hæc legun-
tur verba: „De Origeno male loquens,
„sex millia librorum ejus se legisse,
„quamplurima fratrum multitudine au-
„diente, confessus est. Qui si utique,
„ut ipse dicere solet, pro cognoscen-
„dis malis ejus ipsos legebat, sufficere
„pote.“

„poterant ei decem libri ad cognoscen-
„dum, aut viginti certe, vel quam-
„plurimum triginta. Sex millia autem
„libros legere, non jam velle cogno-
„scere est, sed totam pæne vitam
„suam disciplinis ejus & studiis dedere.“
Verum hæc nequaquam Hieronymi
sunt, sed Rufini, qui tum Hierony-
mo infensus ad conslandam invidiam
hæc disseminabat. Quantis autem vi-
ribus ea S. Doctor propulsarit, & pu-
tidum illud mendacium redarguerit,
ex ejus epistola ad Theophilum & l. II
adversus Rufinum l. d. ostendi. Au-
gustinum deinde quod anteponunt Ori-
geni, si de ingenio quæritur, omnino
assentior; si de librorum numero, Isi-
dorus ipse ac Hugo se impugnant:
cum enim Origenem sex librorum milli-
bus cumulent, ne quidem eminus aspi-
rare ad summam hanc Augustinus po-
test, cuius libri re ipsa sunt trecenti
ac sexaginta, nisi singulas epistolas sin-
gulosque sermones in totidem libros
mutemus. Qui numerus etiam exagge-
rationem illam evertit, qua libros Au-
gustini omnes a quoquam posse legi
negatur. Decem volumina, quibus
Augustini Opera continentur, cur le-
gendo tandem absolvi non possint?
Nam plumbeum illud distichon nemi-
nem prudentem movebit;

Men.

*Mentitur, qui te totum legisse fatetur:
Omnia quis lector nunc tua babere potest?*

Id S. Possidio Calamensi Episcopo, cui
a minus cautis tribuitur, sane indignum,
nec in bonis ejus exemplaribus apparet,
ac ne dicit quidem, Augustini libros
propter copiam legi non posse, sed
quia haberi tunc omnes non poterant,
quo tempore nimirum Operum omnium
collectio facta nondum erat. Ut lo-
cum hunc ex Isidoro ad se traduxit
Hugo Victorinus, ita S. Odo Clunia-
censis totum Opus Moralium, quo D.
Gregorius Jobi volumen libris tringita
quinque ingeniosissime illustravit, in
totidem libellos collegit. Primarius au-
tem Adrumetinus Episcopus sua in Pau-
linas Epistolas Commentaria ex Augu-
stino, Ambrosio, Hieronymo, aliis-
que se antiquioribus, tota contexuit:
quemadmodum paulo ante Procopius
Gazæus e Græcis Patribus, qui ad sex-
tum usque seculum scripserant, Moysis
aliorumque libros interpretatus est.
Ludolphus a Saxonia seculo decimo
quarto Expositionem Psalmorum non
tantum ex Hieronymo, Augustino,
& Cassiodoro, verum etiam e Petro
Lombardo concessit. Ipse adeo D.
Ambrosius, a curia & judicium subsel-
liis repente ad aras evocatus, de Operे

sex dierum scribens Origenis Hexaemero ubique usus est, & Philonis quoque sententiis abundat, sic tamen eos temperans, ut, quod ab Hieronymo animadversum est, Hippolyti & Basiliī mentem ac verba potius sequatur. Eorum præsertim, qui seculis posterioribus ad scribendum accessere, pluribus id ex instituto propositum fuit, ut ex alienis hortulis formosissimos quosque flores legerent, & in unum sertum plexos posteritati donarent.

821.
Cur &
qualis hoc
loco Re-
censio.

Inter tam multa dubia & obscura, quæ ex abditissimis antiquorum temporum latebris eruenda sunt, & multo ac diurno labore vix tandem protrahuntur in lucem; ut Lectoris mei temporis ac operæ parcam, Recensione brevi Patres ac Scriptores Ecclesiasticos ordine alphabeti complectar, quo facilius indagari suo quisque loco possit. Terminum statuo annum a Christo nato millesimum quingentesimum, exemplo Ven. Roberti Bellarmini, qui & ipse in laudatissimo de Scriptoribus Ecclesiasticis libro eo usque progreditur. Longum igitur quindecim feculorum cursum finio in Marsilio Ficino Florentino, qui in Theologorum juxta ac Philosophorum stadio exercitatus, & optime de utrisque meritus, in patria immor-

Immortalitatem adiit A. C. 1499, &
apud me sub litera F occurret. Nec
tamen omnes tot seculorum Scriptores
facros accumulabo, promissæ brevitatis,
& præsentis instituti memor: in cen-
sum venient illi tantum, quos Eloquen-
tiæ Sacræ profuturos existimo. Ad
hunc finem cum nihil aut parum con-
ferant *Polemica* contra deos Græcorum
aut Romanorum, & antiquas hæreses;
Hierarchica, & *Canonistica*; *Theologica* me-
re scholastica; *Chronica*, aliaque ejus-
dem generis historica, præsertim si res
non sacras narrent; *Poetica* denique,
cujuscunque formæ sint: universæ hæc
silentio præteribo, nisi forte peculiaris
quædam ratio contrarium suaserit. In
illis autem, quos numero, duo mihi
potissimum designanda constitui; alte-
rum, ut *pseudepigrapha* seu quæ falso
illis inscripta sunt, atque etiam dubia,
sine dissimulatione notem; alterum, ut
cuique suum eloquentiæ characterem
assignem, quo ab aliis distinguitur.
Istud tum eruditioni serviet, tum eo-
rum notitiæ, qui ad aliquem e veteri-
bus illis legendum accident. Illud au-
tem non solis Patrum lectoribus, sed
omnibus etiam aliis opportunum, vel
potius necessarium est, si antiquorum
testimoniis pro concione uti sine falsi-
tatis periculo velint. Etiam si enim ne-
que

que illorum volumina legas , neque omnino præ manibus habeas : ex aliorum tamen libris præclaras veterum sententias in usum commodumque tuum convertere non raro desiderabis. Quam facile porro sit in salebroso hoc negotio decipi , & apud bonos etiam auctores errorem haurire , e supra dictis abunde liquet. Sed an hos tu , inquiet aliquis , omnes mihi evolvendos præscribis ? Ego vero nihil , nisi hortor , ut laborem nobilissimum aliquando aggrediare. Felicem profecto , non dico te , sed vel me ipsum , si ex angustiis te possim educere , & in locupletissimo hoc majorum nostrorum regno cum gloria collocare. Verumtamen aliud est , quod optare licet ; aliud , quod assequi datur. Ei viro , qui reipublicæ sacræ admotus est , quam non multum temporis supersit , quot quantisque curis distrahatur quotidie , non ignoro. Absit ergo , ut a te petam , quod præstare non possis. Non est in uno Patrum studio quasi vitæ tuæ tabernaculum desigendum , neque ad illorum infinitam industriam a te quoque aspirandum , qui in vitæ solitariæ vacuitate tantum sibi temporis ad hoc sumpserunt , ut legentes vita defecerit. Omnes enim disciplinæ aliter ab iis coluntur , qui eas ad usum transferunt ; aliter ab iis ,

iis, qui nihil in vita sunt aliud acturi. Curantur hæc facile, si tantum seponas, quantum opus sit; referanturque ad hanc dicendi scientiam, quo pertinent, & quam intuemur; neque omnem terram in rimandis tot auctoribus extatam. Cum scaturigines has viderimus, non id agitur, ut exhauiamus; sed ex illis tantum, quantum res exiget, hauxiamus. Licet vagari libere, & ubi cunque consistere placuerit, consistere tanquam in suo. Aliter si hortarer, & omnia sollicite excipi cuperem: id videlicet efficerem; non ut Eloquentiam per hæc Lector meus in se corroboraret, sed ut de consequenda illa desiparet. Habebit aliquos, qui non habebit omnes: leget aliquos, qui omnes non leget. E paucis quoque, præser-tim meditate lectis, magnum operæ pretium redibit. Sed jam ipsam Recensionem ordiamur.

D. ALBERTUS Magnus, clarissimum Germaniae lumen. Lavingæ in Suevia e nobilissimo dynastarum Bol-statem genere natus, Ratisbonensi cathedralæ Episcopus sanctissime præfuit. Ejus Opera voluminibus XXI formæ maximæ comprehenduntur; magnam partem philosophica, & theologica; cetera ad explanandum Divinum Co-Lit. XI. (F) dicem,

dicem, & mores formandos scripta.
Nequaquam tamen omnia, quæ in hanc
librorum molem congesta sunt, Alber-
tum auctorem habent: quæ singillatim
non discerno, philosophorum ac theo-
logorum scholis consulto ea relinquens.
Recte ad eum referuntur Sermones 32
de SS. Eucharistia, qui D. Thomæ
Aquinati, Alberti discipulo, in qui-
busdam exemplaribus falso ascribuntur.
At libros de Mirabilibus, & Secretis
Mulierum, qui sub tanti viri nomine
incautos fallunt, a Doctore tam san-
cto & sapiente manasse, nemo prudens
vel suspicari queat. Pius II Pont. Max.
rerum in Septentrione gestarum bene-
gnarus, in epist. ad Imperat. Turc. de
D. Dominico ita scribit: „Fratrum
„Prædicatorum instituta Regula univer-
„sum illustravit orbem. Multi ex di-
„scipulis ejus clarissimi evaserunt: sed
„præcipua est Magni Alberti fama, qui
„nullum doctrinæ genus ignorasse cre-
„ditus est. Nec minor eo Thomas
Aquinas fuit in literis.“ Joannes
Trithemius, Abbas Spanheimensis eru-
ditissimus, in Catal. Scriptorum Illu-
strium, cum de B. Alberto dixisset,
scripsisse multa, ac pæne infinita opuscula,
paulo post addit: Non surrexit post eum
vir similis ei, qui in omnibus literis, scien-
tiis, & rebus, tam doctus, eruditus, &
exper-

expertus fuerit, sicut iste DEO dilectus.
Quare non magnificentius, quam verius, Joannes Aventinus in Bojorum
Annalibus l. VII hunc Germaniae Var-
ronem appellavit. Hæc opponere vi-
sum est contumelæ Critici illius Galli
notissimi, qui maximam eruditionis hi-
storicæ famam, sed non ubique parem
judicij & verecundiæ laudem consecu-
tus, miratur, unde Magni cognomen-
tum Albertus invenerit, nisi forte,
Inquit, a librorum crassitudine id no-
men adscitum est. Quanta in gloria
ponendum hoc nomen sit, dicat æquior
censor, nec ipse Germanus, Paulus
Jovius, Nucerinus & Novocomensis
Episcopus, in Elog. Scriptorum. „Sit
„, hoc tibi, quanquam breve, Elogio-
„, rum omnium luculentissimum, Alber-
„, te Sueve, Artobrigensium sanctissime
„, Antistes, postquam docendo scriben-
„, doque Theologiæ Philosophiæque
„, totius locos omnes miris celsissimi in-
„, genii tui luminibus illustrasti, ut illud
„, in literis nemini adhuc concessum,
„, & quod vivo rara felicitate contin-
„, git, Magni cognomentum assequere-
„, re. Vixisti quippe ceteris aliquando
„, beatus, hoc est, alterum & octoge-
„, simum ætatis annum: sed ut immor-
„, talitati tuæ justa gloria plenus inter-
„, es, accumulatoque fœcundissimi

(F 2) inge-

„ ingenii merito , clarioris tituli mune-
 „ re dignus censerere. Deferebat enim
 „ Maximi cognomentum gymnasiorum
 „ omnium consensus , nisi publico vo-
 „ to christiana verecundia restitisses.
 „ Sed quid tibi majus Divi immortales
 „ dare potuerunt , quam ut diu in ter-
 „ ris vivus , & incolumis , inusitatæ,
 „ nec unquam nisi post fata obvenien-
 „ tis gloriæ fatum perciperes ? “ Singu-
 lare Alberto beneficium obtigit , inge-
 nium cælesti munere a Divina Matre
 insulsum , optione facta , quam mallet ,
 scientiam eligendi. Philosophia juveni
 præ cæteris placuit : & philosophicum
 scribendi genus viro ac seni adhæsit.
 Ejus enim stylus non tam elegantiam ,
 quam veritatem sectatur ; & in summa
 fertilitate judicium , in difficultibus quo-
 que perspicuitatem , in omnibus pro-
 prietatem & ordinem servat.

ALCIMUS. Vide *Avitus.*

823.
Algerus.

ALGERUS, qui primum Scholasticus
 Leodiensis , deinde Monachus Cluniacen-
 sis fuit , furorem Berengarii contra veram
 Christi præsentiam in divino altaris my-
 sterio valide repressit ; dignus illa Petri
 Venerabilis , sancti Cluniacensium Ab-
 batis , voce , in vestibulo libri de Sa-
 crificio ; Lanfrancum de mysterio hoc
 scripsisse bene , plene , perfecte ; Guti-
 mun-

mundum melius, plenius, perfectius; Algerum optime, plenissime, perfectissime. Errata quædam, sive memorijæ, sive illorum temporum, summae rerum haudquaquam obstant. Proprium Algero, quod contra novos tunc hodies SS. Eucharistiae, præ aliis omnibus, ingenio peracri, studio flagrante, doctrina eximia, singulari pietate insurrexit; polemicis tamen castris, quam sacris templorum rostris accommodatior.

S. AMBROSIUS, Pontifex Mediolanensis: cujus potentem facundiam expertus in se Augustinus, Confess. V

824.

S. Ambro-
fius.

13 de illo inquit: *delectabar suavitate sermonis.* Et ibidem, ut in Confessionibus solet, ad DEUM de Ambrosio ait: *cujus tunc eloquia strenue ministrabant ali-*
pem frumenti tui, & lætitiam olei, & so-
briam vini ebrietatem populo tuo. D. Eu-
cherius, politissima ipso eloquentia scriptor, in epist. ad Valerianum, inter clarissimos facundia viros Ambrosium numerat. Ab ejus nomine laudem re-
petit Joannes Bona, Cardinalis doctissimus, ad finem præclari voluminis de Divina Praeloudia, in Notit. Auctorum, Voc. Ambrosius: *Mediolanensis Episcopus,* inquit, *vere cœlesti manans ambrosia.* Ubi-
que insignis est, & ubique Lectori plurimum profuturus, quoties vel Scri-

(F 3) ptu-

pturas Divinas exponit, vel sacra docet: sed singulare pretium habent Officiorum libri, qui ad morum culturam multo plus afferunt, quam vel inter Græcos Panætius, vel apud Romanos Cicero in suis Officiorum libris assequi potuere. Commentaria in omnes D. Pauli Epistolas Ambrosii non esse, consensus eruditorum est. Plures ea tribuunt Hilario Diacono Sardo, qui quidem inter Luciferianos aliquamdiu in errore hæsit, sed cum in his ipsis Commentariis Damasum Ecclesie rectorem agnoscat, tum certe, cum ista scriptis, a dissidio ad veritatis communione rediisse ab optimæ notæ Criticis merito judicatur. Libri duo de Pœnitentia contra Novatianos sine causa idonea a quibusdam Ambrosio subducuntur. Dubius autem liber est ad Virginem lapsam. De Vocatione Gentium libri duo, maximi pro re orthodoxa momenti, Ambrosii tamen non sunt; sed vel Hilarii, ut quidam; vel Prosperi, ut plurimi opinantur. Expositionem Apocalyplos, & librum de Conflictu virtutum ac vitiorum ad Simplicianum, Ambrosianæ manus non esse viri docti consentiunt. Libellus seu fragmentum de Spiritu Sancto, quod veris tribus Ambroxi libris de Spiritu Sancto attextum videmus, materiam com-

communem habet, non stylum vel auctorem. Neque liber de Concordia Matthæi & Lucæ mel illud Ambrosianum sapit; multoque minus liber singularis de Pœnitentia, insuavis & austerus, cuius ipse finis palam indicat, auctorem fuisse Victorem, non tamen Cartennæ, sed Tunonensis potius Episcopi. Expositio Fidei, seu Symboli Nicæni explicatio, epitome tantum est e libro I Ambrosii de Fide ad Gratianum collecta, ut vere Baronius animadvertisit. De Filii Divinitate librum D. Gregorius Nazianzenus græce scripsit: ac ne interpretatio quidem certum Ambrosii opus est, quibusdam ad Rufinum trahentibus. Sermonum, qui in Doctoris hujus Operibus leguntur, mira confusio. Certum est, inquit Bellarminus, aliquos sermones non posse esse Ambrosii; & singillatim hunc in modum eos discriminat. Nonus, tricesimus septimus, & septuagesimus secundus inter D. Augustini sermones leguntur, Sermones de S. Eusebio Vercellensi Episcopo, & de S. Cypriano Episc. & Mart, mutatis alicubi verbis leguntur in Sermonibus S. Maximi: inter ejusdem vero Maximi sermones ad verbum extant Ambrosiani non pauci, nimirum tertius, 14, 30, 31, 32, 44, 47, 50, 51, 52, 53, 54, 56, 57, 58, (F 4) 60,

60, 61, 62, 66, 71, 77, 78, & 82.
sed cuiuscunque sint, concludit optimus
Bellarminus, antiqui, & sancti auctoris
sunt. Dubii censentur Sermones de
Purificatione B. V. & de S. Agneta;
nonagesimus autem secundus, de Ba-
ptismo S. Augustini, dignitate Ambro-
sii & historiae veritate alienus est. Epi-
stola ad Demetriadem a castigatis exem-
plaribus merito abeat, cum de Pelagia-
nis, Ambrosio posterioribus, mentio-
nem faciat; creditur Prospeti. Preces
ad SS. Sacrificium præparantes sunt &
ipsæ ambiguæ; si Theophilo Raynaudq
assentimur, Anselmi. Denique Hym-
nus *Tè DEUM laudamus*, est ille qui-
dem antiquissimus, sed D. Ambrosio
non alia auctoritate vendicatur, quam
S. Dacii, rectius Pseudodacii; & vul-
gari ac vaga quadam fama, nullis ra-
tionibus nixa. Eloquentiæ vero Am-
brosonianæ hic est character: grandis est
verbis, creber sententiis, compressione
rerum brevis, & ob id ipsum nonnun-
quam subobscurus. Quod ultimum ta-
men mitigat celeber Ludovicus Anto-
nius Muratorius, de Dignitate Elo-
quentiæ Popularis c. 8 ita scribens:
„Ambrosii Archiepiscopi, cum libuit,
„sine ambiguitate, elegans, ab acri-
„monia mentis bene instruxta fuit ora-
„tio. Persæpe autem assertam obducta
„reconq.

„reconditaque, quibus capiendis inten-
 „denda plane est mentis interior acies.
 „Verum enim Sermones, quos apud
 „populum seu fortuito, seu præpara-
 „tos recitavit, nos non habemus. Vi-
 „delicet eos e suggestu dictos postea
 „in Tractatus vel Libros cura digessit,
 „variisque ornamentis adjectis sic im-
 „mutavit, ut primaria popularis elo-
 „cutionis forma disparuerit.“

AMBROSIUS, vulgo Anshertus,
 dictus AUTPERTUS sive AUSBER-
 TUS. quem in ista Recensione propter
 suos in Apocalypsin Commentarios non
 nominarem, eo quod liber hic Joannis
 multo plus mysteriorum, quam morum
 contineat. Sed Autpertus tam singu-
 lari ingenio materiam difficultissimam ver-
 savit, & morum documenta tam copio-
 sa & utilia admiscuit, ut lectu dignissi-
 mus sit, operæ pretium liberaliter redi-
 turus. Auctor etiam est libri de
 Conflictu seu Pugna virtutum & vitio-
 rum, qui in Augustini voluminibus le-
 gitur, & ab aliquibus propter nominis
 affinitatem S. Ambroso Mediolanensi
 assignatus est.

B. AMEDEUS, e sanctissima Ci-
 steriensi familia, Episcopus Lausenan-
 sis. Reliquit homilias octo de Laudati-
 bus
 (F 5)

825.
 Ambro-
 sius Aut-
 pertus.

826.
 Amedeus.

bus B. V. M. Nihil illo dulcius: nihil
de cœli Regina dici possit augustius.

827. S. ANASTASIUS SANAITA.

Anastasius Confundendus non est Sanctus hic Mo-
Sinaita. nachus & Sacerdos in Arabia cum duo-
bus Anastasiis Patriarchis Antiochiae:
ut semel iterumque admonuit Claudio
Fleurius in Historia Ecclesiast. XXXVI
27 & XXXVII 20. Et cum juniore
quidem Anastasio Patriarcha nihil com-
mune habet Sinaita; cum seniore au-
tem sanctitatis titulum publicum, &
vitæ tempus: tametsi multis annis Pa-
triarchæ superstes Sinaita fuit. Quam
latum discrimin inter utriusque Divi
res gestas intercedat, ex amborum Vi-
ta liquet, in Actis maximis Sanctorum
a Godefrido Henschenio Bollandi socio
accurate consignata T. II Aprilis, ad
eius diem XXI. De libris igitur S. Ana-
stasii, non Patriarchæ Antiocheni, sed
Monachi Sinaite, hæc observo. In
eius Quæstionibus reperiuntur sane
quædam, ipsius ætate inferiora: sed
hæc opponentibus cum doctissimo Gret-
tero respondeo: cum in his Quæstioni-
bus totus tractandi modus, & ipse sty-
lus, Anastasium Sinaitem aperte pro-
dant, & vetustissimi Codices manu scri-
pti nomen ejus præ se ferant: relinquî-
tur, ut dicamus, ea, quæ ab iphius se-
culo

culo abludunt, a librariis aliisque temporum non sat peritis fuisse assuta: in quo quam liberi & prompti fuerint Græci sequioris ævi, eruditis notissimum est. Quibus sunt dissimilia, quæ pro S. Anastasi Hodego disputat Johannes Baptista Sollerius in Appendice ad Seriem Patriarchalem de Coptis Jacobitis, § III, Digress. ad censuram Albertini. Ceterum Anastasius Sinaita, quam se cunque in partem dat, gravitate ac prudentia ita plenus est, ut, quoties vult, acumine quoque subtili & venustate delebet.

ANGELOMUS. Quidquid habet, 828.
quod est perfecto plurimum, totum e Angelodiligentissima Patrum veterum disciplina mus.
hausit. Magnus animi splendor, & felix industria, qua clarissimorum viorum inventa magno lectoris commoda sibi ascisceret, eaque suis adjectis omnib[us] dignitate cumularet. Instituti sui causam doctissimus hic D. Benedictus a scola & Diaconus Luxoviensis præfat. in Genes. ipse his verbis aperuit Leoderico Sacerdoti: „ Ne quis mea inserta „ conjiceret, Sanctorum Patrum hinc „ inde volumina aggregans, ut ex eo- „ rum dictis corroborarem ea, quæ de- „ scriberem; inde (al. unde) nonnul- „ la ex eorum quodammodo magnis flu-

„ mi.

„minibus profundisque gurgitibus in
 „rivulum derivavi exiguum, præcipua,
 „& propria eorum indidi dicta. Non-
 „nulla quippe, caussa brevitatis, sen-
 „sum eorum sequens, propriis intuli
 „verbis: aliqua vero, quæ ex tradicio-
 „ne didici, & in tomis penes nos in-
 „venire non potui, constipulata exem-
 „plis subiecte præsumpli, & in li-
 „belli modum finire decrevi, ut, qui
 „diversis cauſſarum tumultibus occu-
 „patus, latissimos Doctorum non va-
 „cas percurrere campos, hunc admo-
 „dum brevitate collectum ocyus lustra-
 „re quivisses libellum.“ Sunt autem
 illi Patres, e quorum Angelomus fon-
 tibus hortulos suos irrigavit, Hierony-
 mus, Augustinus, Isidorus, aliique se-
 culo nono antiquiores.

829.
 S. Ansel-
 mus Can-
 tuariensis.

S. ANSELMUS, ex Abbe Be-
 censi O. S. P. B. Archiepiscopus Can-
 tuariensis. Inter Opera, quæ sub ejus
 nomine circumferuntur, hæc sunt pseu-
 depigrapha: Liber de Vestimentis, Mem-
 bris, & Actibus DEO attributis: De
 Mensuratione Crucis: De Passione Do-
 mini: De Imagine Mundi, libro duo;
 sunt Honorii Augustodunensis: Eluci-
 darium; quod ejusdem Honorii est:
 De Sacra ento Altaris: De Excelle-
 tia glorioſissimæ Virginis MARIAE; ity-
 lus

lus auctorem Eadmerum indicat: De Similitudinibus; quibus cum usus sit Anselmus, quanquam conscriptæ sunt a discipulo, fortassis Eadmero, non falso tamen ipse Divus earum nuncupari auctor potest. Magni hujus Doctoris effigiem ipsa Ecclesia ante omnium oculos constituit, dum in ejus solenni Officio Lectiones II Noct. ita concludit: „Doctrinæ, quam ad defensionem „christianæ religionis, animarum pro- „fectum, & omnium Theologorum, „qui sacras literas scholastica methodo „tradiderunt, normam, cælitus hau- „sisse ex ejus libris omnibus apparet.“ Quæ in brevissimam epitomen contulit solertissimus ejus editor Gabriel Gerberonus e celeberrima Congregatione S. Mauri O. S. B. unus ex optimis meritis de Patrum Operibus. Is Epistolam, qua laboriosissimam suam Anselmi editionem Illusterrimo Jacobo Nicolaio Colberto, Abbatii Beccensi, Anselmi successori dedicat, ita auspicatur: *Qui cunctis supereminet sacræ doctrinæ magistris.* Hac Anselmus doctrina sic eminet, ut in ipso scribendi modo nemo simul maiorem in abstrusis Theologie materiis claritatem, in simplicibus Ascensos exercitationibus affectum in se confiarit.

AN-

830.
Anselmus
Laudu-
nensis,

ANSELMUS LAUDUNENSIS.
Hic vir est, cui *glossam ordinariam interlinearem* debemus, additis animadversi-
nibus Strabi Fuldensis & Nicolai Lirani
auētas. Ingeniosi hujus & succosī in-
venti rationem Sixtus Senensis in Bi-
blioθ. Sancta l. IV, tit. *Anselmus*, sic
describit: „Anselmus Laudunensis,
„Gallus, cognomento Scholasticus,
„in Divinis Scripturis & Sacrorum
„Doctorum voluminibus jugi studio
„eruditus, & in omnibus disciplinis
„non mediocriter instrūctus, ingenio
„acutus, eloquio pressus, & laconicæ
„cujusdam brevitatis imitator, novo &
„inusitato explanationis modo utrius-
„que Testamenti libros ex brevissimis
„quibusdam Patrum annotatiunculis
„exposuit: quas minutissimis characte-
„ribus descriptas, inter ipsas Scriptu-
„rarium lineas majoribus literis exara-
„tas, non minus curiosa, quam utili-
„industria artificiosissime coaptavit;
„cumque labore ad differentiam
„Glossæ Strabensis, quæ in margini-
„bus Sacrorum Codicum describi solet,
„Glossam interlinearem appellavit. Cla-
„ruit sub Henrico IV Imperatore,
„anno Domini 1110. “Strabus Ful-
densis pridem ante Anselmum *Glossam*
suam adornaverat seculo nono, Ni-
colaus vero Liranus eum seculo
quar-

Quarto decimo secutus est: ut idem
Senensis eodem libro Bibl. Sanctæ per-
hibet.

ANTIOCHUS, Monachus in Lau-
ra S. Sabbæ, in Palæstina. Ejus est
Pandectes Divinæ Scripturæ, in 130
Homilias divisus, ac liber de Vitiosis
Cogitationibus. Quod in Pandectis
civilibus laudamus, quodque nomine
ipso profitentur; id inter Ecclesiasti-
corum volumina Pandectes hic agit, ut
nimirum in omnes casus humanos affer-
rat leges idoneas, & vitam moribus
optimis temperet. Auctor Divinorum
Librorum & primorum e Græcis Pa-
trum, septimo enim seculo ipse vixit,
optime peritus, ex utrisque utilissima
colligit, & gravi ac senatoria quadam
eloquentia præcipit.

831.
Antio-
chus Sab-
baita.

S. ANTONINUS, e sanctissimo
D. Dominici Ordine, Archiepiscopus 832.
Florentipus. Franciscus Castilianensis,
Sacerdos per octo annos domesticus
beati Antistitis, in ejus Vita c. II,
Bollandinis c. 4, de magna doctissimi
hujus viri Summa quinquepartita in-
quit: „In quo libro, quidquid ad
„considerationem speculationemque sa-
„cramentæ theorizæ, quidquid ad no-
„bilissimarum virtutum acquisitionem,
„quid-

S. Anto-
ninus.

, quidquid denique ad beate beneque
,, vivendi usum pertinere videatur, di-
,, lucide sapienterque conscriptum est.
,, Nihil ibi prætermisum, nil obscure,
,, nil concise mutilatèque dictum: eaque
,, de cauſa magno eum volumine neceſ-
,, ſario conculſit. Non enim de univer-
,, ſalibus tantum rebus ſcripsit: verum
,, etiam ad particularia quæque deſcen-
,, dens, ad hunc noſtrum vivendi uſum
,, & ad ſingularem quandam humanae
,, vitaे operationem, doctrinam accom-
,, modavit. Omisso Theologorum
foro, de quinta ſokim Operis parte
nonnihil commemorabo, quam Divus
Summam Historialem inscripsit: quando-
quidem utiles moribus narrationes ex
ea proferri in concionem poſlunt, &
vero etiam ſolent. Quæ de ſuis tem-
poribus, ſibique comperta, vir candi-
dissimus & religiosissimus tradit, firma &
rata ſunt, omnipotemque hæſitationem ex-
cludunt. Quæ vero ipius ſeculum,
a Christo decimum quicquid, antece-
dunt; quoniam ea per ſe auctor habe-
re perspecta non potuit, non maius ab
ipſo pondus accipiunt, quam quod an-
tea in ſe habebant. Non igitur tanti
viri auctoritate muniuntur illi, qui, ut
exempli cauſa hoc afferam, Imperato-
ris Joviniani cauſum in venatione, cæ-
leſtisq[ue] Genii in Cæſarem metamor-
pho-

phosin, tanquam veram certamque historiam e D. Antonino in templis narrant. Jucundum id Acroama est, & venustissimo Bidermann calamo dignum: sed, si ut rem vere gestam affirmes, totaque oratione prosequaris; historica fides labat, nec testimonio ad evenitum tantæ antiquitatis necessario stabilitur. Cauter noster Joannes Stephanus Menochius, non eruditioni magis, quam soliditati addictus, Stromat. Centur. IX c. 3, ubi hæc de Joviniano narrari solita refert, præfatur, factum id sit, an fictum, in medio se relinquere.

D. ANTONIUS Magnus. Super-
sunt ejus epistolæ, e lingua ægyptiaca S. Anto-
primum in græcam, postea in latinam nius Ma-
translatæ: de quibus cum Hieronymo gnus.
dicam, esse & sensus, & sermonis Apo-
stolici. Quoties vel invito lectori au-
steriora salutis documenta ingerit, ea ipsa
tamen, quamvis exhorrescenti ac tre-
pidanti, præclara & veneranda non
possunt non videri: nam etiam qui ab
ejus doctrina percellitur, in illius la-
cris habitare divinam gratiam, & ex
eo ad se loqui agnoscit.

D. ANTONIUS Patavinus. Ser-
mones ejus pretiosissimi de Tempore, & S. Anto-
Lib. XI. (G) de

nius Pata. de Sanctis, illi sunt, propter quos,
 vinus. uti loquitur Joannes Hayæus (*de la
 Haye*) Ecclesiastes Regius Parisinus, &
 Observantiae Minorum in Gallia Pro-
 curator Generalis, præf. in Opera om-
 nia S. Ant. Patav. „ Pontif. Max. Gre-
 „ gorius IX singulari eum prærogativa
 „ Arcam Testamenti nuncupare non
 „ dubitavit, & Divinarum Armarium
 „ Scripturarum.“ Hieronymus autem
 Platus noster, de Bono Status Relig.
 II 32: „ Quid Antonius Patavinus? ad
 „ quem audiendum tanta hominum
 „ multitudo concurrebat, ut cum tem-
 „ pla, quæ ad hoc ipsum deligebantur
 „ amplissima, capere non possent, fugi-
 „ gestus in campos, vel plateas latissi-
 „ mas deferretur. ubi etiam ad occu-
 „ pandum tempestive locum adeo ab
 „ omnibus certatim properabatur, ut
 „ cernere esset nobilissimos viros, at-
 „ que matronas, antequam luceceret,
 „ concursantes, & ad multas horas vo-
 „ cem illam, quasi de cælo venturam,
 „ præstolantes: illo autem loquentे,
 „ cum sæpe ad millia hominum triginta
 „ adessent, tamen non strepitus, non mur-
 „ mur, non etiam exscreatus audiebatur,
 „ tantum erat omnium silentium, & atten-
 „ tio. Quid igitur tale unquam Demosthe-
 „ nes, aut ullus ex illis, qui diserti in
 „ seculo sunt habiti?“ Eloquentiæ cha-
 racte-

raeterem sic diffundit Raphael Maffæus,
Parthenii Ordinis Serv. Theologus, præf.
in *Sermones Dominicales D. Antonii de Padua*:
„ Nunc attollitur, nunc residet: excelsa
„ depressis, exilia plenis, jucunda severis
„ mutat: multum in eo sanguinis, mul-
„ tum industriæ, multum interdum indi-
„ gnationis. Inest ei oratio materiæ &
„ temporis semper accommoda; nec satu-
„ ra jejune, nec grandia minute pertra-
„ etat: sed, quod Cicero in Oratore
„ plurimum cupit, habet ipsis semper
„ rebus parem & æqualem orationem;
„ sive de divinis, sive de humanis dis-
„ serat; sive ut auditores erigat, sive
„ ut impellat; sive ut doceat, sive ut
„ deterrat; sive ut concitet, aut in-
„ cendat.“ Quæ tametsi de Patavini
Orationibus verissime dicta sunt, fa-
tendum tamen erit eas legenti, & apud
se perpendenti, tam incredibilem
in animos vim illis additam fuisse po-
tissimum a sanctissima & in hanc usque
diem incorrupta lingua: de qua Fran-
scus de Mendoza in *Viridario*, l. VI orat.
II: „ Hæc lingua erat arca fœderis,
„ erat virga Aaron, erat gladius David,
„ erat sedes DÆI, erat clavis cæli,
„ erat areola aromatis, erat rationale
„ judicij, erat pignus patrocinij nobis
„ in Antonio nunquam defuturi.“ Præ-
terea Divus hic amabilis, & publico

ac perenni hominum omnium bono natus reliquit etiam Concordias Morales, primus hujus generis auctor. Eas e Divinis Libris summo ingenio collegit, & in quinque libris perquam ordinate disposuit.

835.
Arnobii
duo.

ARNOBII duo. Arnobius senior, Afer, Sicce in Numidia florentissime Rhetorican docuit, inquit S. Hieronymus l. de Scriptor. Eccles. in Arnob. Libros VII contra Gentes tam nervosa eloquentia tamque athleticis viribus instruxit, ut omnino dignus sit, qui a Card. Cæsare Baronio præf. in Annales Ecclesiast. rerum nostrarum gravissimus assertor dicatur. Res una & stylum comprehendit antiquitatis omnis studiosissimus Justus Lipsius, cum in Epistolicis Quæstionib. I 20 de Arnobio seniore scripsit: antiquæ & reconditæ doctrinæ, qua in rebus, qua in verbis. Negari tamen haud potest, Arnobii orationem aliquanto plus asperitatis Africanæ, quam lenitatis & æquabilitatis Romanæ habere. Mirum, seniori huic Arnobio tamdiu a doctis assignari potuisse Commentaria in Psalmos, toto dicendi genere a Polemicis illis libris longissime abeuntia. Horum auctor Arnobius junior non tantum faderdos, quod pridem ab aliis observatum est, sed Episcopus etiam fuisse mihi quidem videtur. Eodem enim Comment. in Psalm.

Psalm. CV, e quo testimonium de
 sacerdotio ejus bene ac solide petitur,
 etiam hæc legimus, quæ solis Episcopis
 convenire possunt: Quos cum scia-
 mus aut turpes in factis, aut inju-
 stos in judicio; tamen quia potentum
 amicitiis copulantur, aut ipsi poten-
 tes sunt, hos in sacerdotio conse-
 cramus, hos dignos clamamus & ju-
 stos “ Nondum tamen ad hanc di-
 gnitatem elevatum fuisse tum, cum
 Opus hoc inchoaret, Prologus osten-
 dit, in quo Laurentium & Rusticum
 Episcopos non ut æqualis pares, sed ut
 inferior superiores alloquitur, dicens:
 Ad loquendum jubentis compellit
 auctoritas. Si enim vobis jubere li-
 eet, nobis contemnere non licet.
 Non est præsumptionis, sed obedi-
 entiae hoc, quod Psalterii venas pul-
 sare potius, quam patefacere stu-
 denus. “ De stylo si quærimus,
 equidem latinitas ei deterior, multo
 que minor cultus, quam Leoni Magno,
 cuius temporibus fuisse proximus cre-
 ditur; magna tamen elegantia, & felix
 præsertim in antithetis sine auctorita-
 tis jactura lusus.

ARNOLDUS Carnotensis. Ab-
 bas hic Bonæ Vallis, olim D. Bernardi
 discipulus, deinde familiaris amicus, in
 illis,

illis, quæ de VII Verbis Domini morientis, deque Virgine Matre scripsit, magistri sui acumen & suavitatem, et si assicutus non est, insigni tamen cum laude secutus est.

837.
Arnul-
phus Le-
xoviensis.

ARNULPHUS, Lexoviensis in Neustria Episcopus, præter Epigrammata, quæ nostri hujus fori non sunt, Epistolas & Conciones reliquit, in quibus poetica lumina naturali candore temperata emicant.

838.
D. Asteri-
us.

ASTERIUS, Amaseæ in Ponto Episcopus. Nemo Græcorum in Homilia floridiorem stylum cum pontificia dignitate felicius conjunxit. Neque obstant viriles elegantiae utilissimo affectui, quem ex intervallo tam apte prodit, quam perite ciet.

839.
S. Atha-
nasius.

ATHANASIUS, Heros ille Alexandrinus, & suo seculo Columna Ecclesiæ. Si vitæ imaginem quærimus, respondet D. Gregorius Nazianzenus orat. 21, quæ Athanisi laudatio est, cum eloquentes agenda, rerum agendarum peritos eloquentia superasse. Si eloquentiæ ipsius effigiem petimus, ingeniose illam in patrio fulmine exhibit poeta lyricus, Joannes Baptista Masculus, IX 21.

Non

Non sic propinquò patrius alveo
Nilus redundat, cultaque temperat
Fœnndus culu, cum rubente
Feut bis Procyon sub axe:
Ut fusa late fontibus integris
Manavit atque vis Sapientia:
Te Vitæ Alexandria civem est
Naclia ducem, & Marectis ora.

Non tamen cœlestis hic Nilus suas den-
taxat aquas vehit, cum rivuli quidam
alieni in ejus alveum deducti sint, & e
Theodoreti, Vigilii Africani, & nescio
cujus præterea incerti auctoris operibus
ad Athanasium trajeeti. Quæ distinete
non numero, quandoquidem ad anti-
qua cum Arianis eorumque fœderatis
certamina referuntur, nec instituto no-
stro, nec seculo isti multum idonea.
Commentarios in Paulinas Epistolas,
quondam Athanasio ascribi solitos,
Theophylacti esse, jam pridem inter-
doctos percrebuit. Liber quoque de
Virginitate inde ab Erasmi Roterodami
temporibus non injuria suspectus est,
quod styli ratio a veris certisque Atha-
nasii opusculis nimiope abiudit. Sed
nullum ex omnibus ingenii monumentis,
quæ Athanasii velsunt, vel esse creduntur,
majore conatu in utramque partem tra-
dum est, quam Symbolum illud, cuius
initium est. Quicunque vult salvus esse,
one omnia opus est, ut teneat catholicam si-
(G 4) dem.

dem. Et profecto digna est eruditæ quæstioni: materia, quam in Sacerdotali Officio cujasque diei dominicæ recitamus, & velut epitomen religionis antiquæ veneramur: præsertim cum Symbolum hoc non a Latina tantum Ecclæsia, verum etiam a Constantinopolitana, Serviana, Bulgarica, Russica seu Moscovitica, aliisque summa cum reverentia sit receptum, omissa duntaxat a Græcis illa particula, qua Spiritus Sanctus a Patre simul & Filio procedere dicitur. Si absque partium studio antiquitatem scrutamur, & speciosa a solidis internoscimus, nemo Latinorum Græcorumq; ante Hincmarum Rhemensem Pontificem, qui seculo demum nono post Christum floruit, Symbolum istud auctori Athanasio assignavit. Nam quod Hilarium & Augustinum hac in re suffragari Athanasio dicunt, firmis tabulis probari nequit. Hilarii enim fragmentum uno nititur codice Pithœano, qui & recentior est, & alium sibi similem in hoc fragmento nullum habet. Augustini autem verba, quæ afferuntur, in nullo volumine manu exarato reperiri potuerunt: ut jam olim Lovanienses, ac deinde solertissimi PP. Benedictini e congregatiōne S. Mauri notarunt: ut fatis appareat, plagulam hanc esse a quodam assutam. Canon Syno-

Synodi Augustodunensis, fidem S. Athanasii nominans, id est, fidei professionem, gratis tribuitur anno 670: sunt enim & aliæ Synodi Augustodunenses ætatis posterioris, ad quarum aliquam Canon ille revocari eodem jure potest. Theodulphus Episcopus Aurelianensis, Ahytho seu Hatto Episcopus Basileensis, & Ratramus seu Bertramus Corbejensis, qui Symbolum hoc Athanasio videntur addicere, non octavi sunt seculi, sed noni, ejusdem videlicet, quo Hincmarus vixit. Noni etiam seculi est codex ille Weingartensis, seu ad Vinea, quem luci publicæ nuper commisit, & multa eruditione illustravit V. C. Martinus Bürginus, Almi illius Imperialis Asceterii Theologus doctissimus. Neque multum distare crediderim XII illos codd. mss. celeberrimorum e Congregatione Mauriana Criticorum: certe nullo arguento suadetur, ullum eorum seculo nono vetustiorem esse. In illis igitur temporibus consistere æquum judicem, & ad Hincmari ætatem referre par est originem opinionis, quæ Symbolum Quicunque D. Athanasio Alexandrino adjudicat. Exinde sententia hæc ita in omnium animos permanavit, ut ne dubitandi quidem locus relinquatur; adeo ut etiam Legati a Gregorio IX Constantinopolin missi publice co-

ram Græcis, ne his quidem refragantibus, Athanaſi nomine Symbolum hoc insignierint; & ipſe Eugenius Pont. Max. in Decreto ad Armenos in Florentino Concilio eundem Symboli *Quicunque auctorem nominarit.* Magnum opinioni pondus addidit auctoritas D. Thomæ Aquinatis, II. II. Quæſt. I art. 10 ad 3, eandem recipientis. Sed cogitandum erat, Doctorem maximum id ex alieno foro sumere, neque veluti suum affirmare, sed aliis affirmantibus respondere. Denique postremis his seculis antiquo possessori litem Critici intenderunt, quatuor potissimum argumen-
tis in medium allatis, *theologico*, *historico*, *grammatico*, & argumento *a silentia*. Non ingratum fore ſpero Erudito Le-
ctori, si controversiæ nunc pervulgatae fundamenta cum animadversione bre-
viffima indicavero. Primum igitur mul-
tis Theologorum fieri non posse vi-
sum est, ut eos errores damnaverit Athanasius, qui post ejus mortem ex-
orti, in Symbolo tamen iſto proscri-
buntur. Sed aliud est, prædam-
nare errorem, quem postea docuit Ne-
storius; aliud, ipsum Nestorii nomen
prænosse ac prodere: iſtud prophetæ
est, viribus humanis ſuperius, & fide
humana majus: illud a magno Theolo-
go & Ecclesiæ Patre fieri potest, ac
ſæpe

sæpe factum est. Berengarii personam ac nomen prædicere non potuere Hilarius, Ambrosius, Augustinus, & Cyprianus: doctores enim erant, non va-tes. At errorem Berengarii, quo ve-
ra Christi præsentia in altaria mysterio negatur, iidem tot ante seculis rejece-
runt, dicentes; de veritate carnis &
sanguinis non esse ambigendi locum;
panem esse ante verba sacra, sed acceden-
te consecratione de pane fieri carnem
Christi; tulisse Christum se manibus
suis, quando commendans ipsum cor-
pus suum dixit, Hoc est corpus meum,
similque corpus illud suum manibus
tulit; multaque alia in eandem senten-
tiā, quibus Berengarii, et si Patribus
his incogniti, commentum impium ju-
gulatur. Magna ingenia, sicuti mate-
riæ funditus perscrutandæ se dēdunt,
omnes ejus partes evolvunt, & errores,
qui contra statui & opponi possunt, jam
tum præcipiunt animo ac clidunt. Ita
Cyprianus Pelagianos pridem ante na-
tum Pelagium refutavit, & Hydrām
strangulavit multo ante, quam in lu-
cem proserperet. Quis nescit, passim
Theologos, imo & ipsa Concilia, no-
vas hæreses antiquorum Patrum au-
ctoritate frangere? ne dubitare quis-
quam possit, occurri posse falsitati,
etiam nondum inventæ. Ipse Athana-
sius

fuis firmam Nestorii hæresin coarguit,
 & Matris D^EI titulum MARIÆ ven-
 dicavit, ut in Epist. ad Sibilar. seu
 Monachos D. Cyrill s. testatur.. Ipse
 Athanasius in Epist. ad Epictetum Co-
 rinth. Episc. hæresin Eutychianam,
 tanto post se intervallo in apricu[m] pro-
 dituram, apertissime retudit & proflig-
 gavit. Ipse quoque I. de Trinit. &
 Spir. Sancto diserte præjudicavit, fu-
 turam Græcorum calumniam depellens,
 & Spiritum Divinum non a solo Patre,
 sed etiam Filio procedere asseverans.
 Denique argumentum hoc primum,
 quod a Theologis non paucis ex tem-
 porum ratione petitur, siquid probaret,
 integrum quoque D. Thomæ Summam eidem
 abjudicare necessum fore, cum illa confutet
 clarissime hæreses diu post ejus obitum in Ec-
 clesiam dehacchantes: verba sunt præstan-
 tis Theologi, Gabrielis Marœ Schenkij
 e Parthenia familia Servorum B. V. in
 Diatriba Critica de Auctore Symboli
 Quicunque, art. 3. Argumentum alte-
 rum ex Historia Sacra deponitur,
 quæ docet, Vigilium Africanum, Ta-
 psensem Episcopum, ultro confessum
 de se fuisse clandestinum artificium, in
 libris a se editis usurpatum. Invidiam
 enim ut levaret, majusque pondus suis
 lucubrationibus adderet, antiquorum
 Patrum nomina, inter quos & Athana-
 si,

si, pro sae in librorum fronte præseripit. Fadum id a religiosissimo viro, non ad fallendum, nquit Papebrochius in Respons. ad Exhib. Errorum P. II art. 13 § 4, sed ad significandum, Aibanasiano spiritu se agi contra hæreses, mysterium sanctissimæ Trinitatis offuscantes. Accedit, quod libri XI de Trinitate, qui & ipsi olim Athanasii esse credebantur, nunc vero ab omnibus inter Vigilius Afri opera rumerantur, nihil aliud sunt, nisi amplius quidam commentarius in Symbolum Quicunque, in quo tanquam in epitome toti illi XI libri continentur. Stringeret argumentum hoc, si aliquando Vigilius nominatim de hoc Symbolo fassus esset, id se sub Athanasii nomine scripsisse: ex eo autem, quod aliquid Athanasio affinxit Vigilius, non continuo efficitur, etiam Symbolum hoc affinxisse. Libri porro de Trinitate profecto debilis conjectura sunt, cum innumera sint eorum exempla, qui commentarios in aliena inventa & libros ediderunt; paucissimi contra in libros aut libellos a se ipsis scriptos commentati sint. Argumentum tertium grammaticum est a lingua græca, cuius proprietati & consuetudini nihil in hoc Symbolo respondet: totum enim orationis filum dicendique genus latinum est. Tam rotunda, & velu-

veluti circino dimensa, præsertim tardiu, ac toties in orbem redeuntia sermonis membra Græci construere non solent. Non itaque Athanasius, scriptor Græcus, horum auctor est; sed Latinorum aliquis, e cuius fonte postmodum hæc translata in græcum sunt. Id eo etiam manifestum fit, quod latina exemplaria inter se congruunt omnia, græca non parum discrepant; luculento indicio, hæc e latinis, non latina e græcis versa esse. Celeberrimo quidem Muratorio T. II Anecdot. visum est, styli & linguæ rationem, sive græca ea sit, sive latina, ad litem hanc dirimendam parum momenti afferre. Dici etiam poterat, exaratum ab ipso Athanasio Symbolum græce, volente ac petente ipso latine ab aliquo amicorum fuisse editum, posteaque rursus a Græcis pluribus, ac proinde non sine multiplici diversitate, linguæ primi auctoris redditum esse. Purpurti duo, Cæsar Baronius, & Joannes Bona, hanc viam iniere: Baronius in Annal. Eccles. ad A. C. 340 narrat, nullo tamen addito teste, Symbolum Quicunque, esse illam Fidei Orthodoxæ professionem, quam D. Athanasius Romæ coram Julio Pont. Max. & congregatis ab eo Episcopis edidit. Addit Bona l. de Divina Psalmodia c. 16 § 18, in ea

ea professione concinnanda Athanasium ab Eusebio Vercelleni adjutum esse: cuius rei testem nominat Guilielmum Baldesanum in Historia Pedemontana. Verum Baronius hac in re nullum auctorem, sed rumorem fecutus est: Baldesani autem non ea est ætas, ut legitimum ab illo sperari testimonium queat. Jam ex hac ipsa narratione arbitraria exoritur argumentum quartum, superioribus multo firmius, a silentio. Symbolum *Quicunque* non comprehenditur in Codice Canonum ac Decretorum Ecclesiæ Romanæ, in cuius formulis seu libellis fidei, numero undenis, summa diligentia undique collatis, non reponendum duntaxat fuisset tam nobile Symbolum tanti viri, sed inter præcipua reponendum, si extitisset. Quis credit, Romæ ignorari potuisse testimonium religionis illustrissimum, si ab Athanasio coram Christi Vicario & Episcopis publice recitatum & oblatum fuisset? Præterea D. Leo Pont. Max. inter testimonia fidei, quæ ad Concilium Chalcedonense milit, Symboli Athanasiani non meminit: cumque diu post, excussis denuo Romanis tabulariis, ad Leonem Imperatorem A. C. 458 eadem documenta novis additis aucta mitteret, in eodem silentio de nostro hoc Symbolo perseveravit. Atqui inter prima collo-

collocandum erat, quippe ab auctore tam sancto, tam docto, & apud ipsos Orientales tam celebri profectum. Cur id semel iterumque omisit Leo, ille inquam Leo, qui alia Athanasii testimonia tam solerter illi ipsi collectioni inseruit? cur non multo magis hanc tam decretoriam & claram ejus professionem Augusto & Græcis opposuit, nisi quia nunquam Athanasius eam Romæ ediderat? Cur vero etiam ipsi Græci tacuerunt? cur neque D. Cyrillus Alexandrinus, unus ex Athanasii successoribus, neque ullus aliis Patrum in Ephesino & Chalcedonensi Concilio Athanasii Symbolum nominavit, quo nihil erat aptius ad impietatem Nestorianam & Eutychianam insanabili vulnere configendam? Eratne Symbolum hoc ejusmodi, ut occultare illud Romani, & non potius toto orbe terrarum spargere, & in Græcorum præsertim oculis constituere summo studio deberent? Qui fit igitur, ut neque Græca Ecclesia, neque ipsa Romana tantæ rei sit conscientia, nisi quod scire neutra poterat, quod gestum non erat? Siluit etiam Concilium Toletanum IV A. 633, in cuius capitul. i tam multa sunt, quæ in Symbolo Quicunque leguntur, ut vix credibile fiat, Patres fortuito in ea incidisse: Athanasii tamen nulla mentio infer-

infertur. Ex hoc ipso Toletano Concilio non improbabilis quorundam conjectura nata est, Symboli *Quicunque* auctorem, quisquis ille fuit, intra annum christianum 460 & 600 vix sile: quandoquidem Concilium hoc notitiam Symboli habuit, & ut monumento jam tum celebri usum est A. 633; ejusdem contra Symboli ignarus fuit S. Leo P. M. anno 458. Hoc argumentum a silentio ductum tantopere attentionem excitat, ut facile præteriri silentio possint quædam levioris momenti, ut auctoritas Scriptorum seculo IX posteriorum, inter quos Demetrius Cydonius, seculi XIV auctor; & regium illud donum, uti est a D. Gregorio Nazianzeno appellatum in laudatione Athanasii, fidelium orthodoxæ professio, quam Athanasius Joviniano Imperatori obtulit: sed nullo prorsus vestigio Nazianzenus ostendit, professionem illam fuisse potius hoc nostrum Symbolum *Quicunque*, quam aliud quodcunque. Ut igitur dicta ad unam summam referamus, omisso arguento theologico & grammatico, quorum primo nihil, altero perparum efficitur, de ceteris viri doctissimi ita sunt ratiocinati. Romanorum una & Græcorum silentium credere nos haud patitur, Symbolum *Quicunque* Athanasium habere auctorem; sed alium

Lib. XI. (H) quen-

quendam, ætate multo posteriorem, qui nomen suum alieno obtegere muluerit. Ex quo apparet, eo tempore hunc scripsisse, quo propter hostium potentiam & crudelitatem aperte prodire nil sinebatur, quod contra Arium, Nestorium, & Eutychen pugnaret. Id autem nemini aptius congruit, quam Vigilio Episcopo Tapsensi in Africa, ubi tum Wandali rerum potiebantur, seculo quinto ad exitum vergente. Sævi hi domini Arianos errores tuebantur sic, ut verbum contra facere non licet. Eodemque tempore Nestoriana & Eutychiana insania longe lateque grassabatur, ut contra hanc quoque muniri bonorum animos oportet. De Vigilio aliunde compertum est, & ipso quidem fatente, sub aliena persona, & nominatim Athanasii, sua vulgasse. Constat etiam, adamasse Vigilium hoc scribendi genus, cum & alias fidei profesiones ediderit, & Arianos ac Eutychianos in libris suis ceteris insestetur. Pars illa Symboli *Quicunque*, in qua improbatur Arius, vera est epitome librorum Vigilii contra Marivadum, adeo quidem, ut plures sententiæ, quales in Symbolo recitantur, ad verbum in libris contra Marivadum legantur. Illud certum, quod eruditissimus Mabilio jam suo tempore animadvertit, doctissimos

Mos plerosque & sacræ antiquitatis per-
ritissimos viros uno consensu negare,
Symbolum, de quo hic actum est, in-
ter vera D. Athanasi Alexandrini ope-
ra censeri posse.

AUGUSTINUS Hippoensis in 840.
Africa Episcopus, sacrorum ingeniorum S. Augu-
phœnix. Summi hujus auctoris libri stinus.
numerantur ter centum sexaginta. Dum
ea recenseo, quæ sub Augustini nomi-
ne vel incerta, vel falso ei ascripta,
in lucem evolarunt, usurpo editionem
Antverpiensem Plantinianam anni 1577,
ad id usque temporis omnium perfe-
ctissimam, & ceterarum variis deinde
locis excusarum usque ad opus Cong-
gregationis S. Mauri fontem atque ori-
ginem: illam potius hic sequor ideo,
quia multo pluribus meorum Lectorum
ad manus futuram reor, quam codices
preciosos Sanmaurianos. Volumine
dictæ editionis sexto liber de Fide seu
Unitate Trinitatis contra Manichæos
est Evodii Episcopi Uzalensis, ut e codd.
mss. jam pridem doctissimus noster Sir-
mondus ostendit. In Appendicibus
autem singulorum Tomorum omnia,
aut fere omnia, sunt aliena: quemad-
modum in præclara illa editione singilla-
tum indicatur. Volumine ultimo inter
Sermones D. Augustini non pauci sunt,

qui originem suam Episcopis aliis dabantur nominatim in eadem editione recententur. De S. Ambrosii Mediolanensis Sermonibus, nono, trigesimo septimo, & septuagesimo secundo, qui Sermonibus Augustini immixti sunt, monui paulo ante in *Ambroso*. Observa iisque que meretur liber de Mirabilibus S. Scripturæ, qui auctorem quidem habet Augustinum, non tamen Hipponensem, sed alium posteriorem, seculi septimi Scriptorem: ut a me supra dictum est L. II horum Subsidiorum num. 103. Præter hunc memorabiles sunt Oratori Sacro, quia ejus foro magis proprii, liber de Spiritu & Anima, Quæstiones Veteris & Novi Testamenti, liber de Vera & falsa Pœnitentia, & liber de Diligendo DEO: non quasi boni non sint, & utilia quam plurima subministrant; sed ne sub S. Augustini nomine in concionem proferantur. Soliloquia, quorum initium est, *Cognoscam te*, decerpta potius ex Augustino, quam Augustini sunt. Manuale ex Augustini & Anselmi sententiis conflatum. Meditationum liber meri flores Anselmi sunt, uti advertit peritissimus Gabriel Gerberon, e Congregatione S. Mauri, in vestibulo Operum D. Anselmi a se elegantissime editorum. Claudant agmen Sermones ad Fratres in Eremo

Eremo, de quibus Ven. Robertus Bellarminus, vir tante modestiae, quantum omnes praedicant, temperare sibi non potuit, quin scriberet: „Phrasis „horum Sermonum, exceptis duobus „de communi vita Clericorum, qui „vere sunt Augustini, est inepta, im- „propria, lutulenta, ut mirum sit, „potuisse ejusmodi Sermones S. Augu- „stino ab aliquo viro prudente tribui.“ Ita Bellarminus l. de Scriptorib. Ecclesiast. in August. Taceo longe acriora de Sermonibus his ad Fratres in Eremo aliorum judicia. De Augustini ingenio dixi ex instituto in Miscellis Literarum Humaniorum L. I, toto art. 8, ubi de humano ingenio perinde ut de humano oculo philosophandum esse dixi: sunt enim oculi, qui acute propinqua videant, ad remota hebetes: sunt contra, qui longinqua discernant, sed in proximis hallucinentur. Perfectus est oculus, qui simul & acute cernit, & late. Ita quædam ingenia penetrant, quod volunt, sed pauca complectuntur; alia multis se rebus dedunt, sed obiter omnibus; optima sunt, quæ simul acute vident, & late. Ingeniorum ergo primatum, inter sacros quidem Scriptores, Augustino tribuendum affirmavi, quod & acutissime omnium, & latissime, versatus in literis sit. Hæc ibi pluribus

(H 3) argu-

argumentis persecutus, unum hic addo, e schola falsitatis desumptum, nec ideo minus verum aut solidum. Damnatarum hæreseon magistros in eo passim elaborasse videmus, ut Augustinum in suas partes trahant, ejusque auctoritatem sibi quibuscunque artibus vendicent. Wicleffus ipsum etiam nomen arripuit, seque Joannem ab Augustino nuncupavit. Lutherus nervos omnes intendit in eo libro, quo humani arbitrii libertatem contra Erasmum oppugnat, ut Augustinum a se stare persuadeat. Calvinus l. de æterna Prædestinari gloriatur, doctrinam suam universam adeo cum Augustino concinere, ut, si opinionum suarum omnium professio sibi edenda esset, facile totam ipsis Augustini verbis contexere nullo suo interjecto posset. Sectæ Burgofontanæ homines, quæ a Jansenio nomen inventit, quid aliud agunt, quam ut germanos Augustini discipulos & ex ipsis hæredes palam se ferant? Parum abest, quin de Augustino repetam, quod de Platone Tertullianus l. de Anima scriptus: *Doleo bona fide, Platonem omnium vñeretiorum condimentarium factum.* Sicut enim antiquissimi hæreseon fatores neminem e Philosophis, ita posteriores nullum e Patribus majorem invenerunt, sub cuius umbra & patrocinio delitescerent,

scerent, nominis magnitudine ad ve-
landam caussæ infamiam abutentes. Un-
de factum, ut post Divinas Literas nul-
li essent libri, quos Augustinianis avi-
dus prensarent ambientque, quod ne-
minem Augustino præferri in orbe chri-
stiano scirent. Viri maximi Opera his
lineamentis optime descripsit Claudius
Mamercus, antiquissimus Presbyter
Viennensis, de Statu Animæ II 9:
Aurelius Augustinus, & acumine ingenii,
& verum multitudine, & operis mole, ve-
luti quidam Cbrysippus argumentandi virtute,
aut Zeno sensuum subtilitate, aut Varro no-
ster voluminum magnitudine. E quibus
Lectori quadruplex nascitur fructus,
ab attentissimo Francisco Ribera Vol.
II in XII Prophetas minores, proœm.
in Malach. § 11 his verbis comprehen-
sus: *Subtilitate erigit & oscitare non sinit,*
eloquentiae suavitate demulcet, argumentis
validis moveat, & vehementer stimulat ad
pietatem.

AVITUS Alcimus, imperatorio 841.
sanguine editus, libris V Carminum
historiam Mosaicam consignavit. In
his perinde, ut in Epistolis, & Homiliis,
nobilitatem summam cum doctri-
na non impare agnoscas: nam, etsi ad
Augusti ætatem non proxime accedit,
iui camen seculi genium longissime tran-
(H 4). scen.

Avitus Al-
cimus.

scendit; dignus elogio, quod in ejus epitaphio inscriptum fuisse narrat D. Ado Viennensis in Chronic. ætate 6.

Unus in arce fuit, cui, quolibet ordine fandi,

Orator nullus similis, nullusque poeta.

842.

Bachia-
rius.

BACHIARIUS, qui temporibus D. Augustini vixit, insignem epistolam elucubravit ad Januarium, seu Episcopum, seu Presbyterum, de recipiendis lapsis. Christianum hunc Philosophum testatur Gennadius in Catal. Script. Ecclesiast. ut morum integritatem servaret, peregrinationem & exilium ultra elegisse. Animus ille a rebus omnibus avulsus, suique ut patriæ contemptor, cum lenitate præcipua, ex ipsa scribendi ratione eluet.

843.

S. Basilius
M.

BASILIUS Magnus, qui eloquentiæ comparandæ cauſſa Aſhenas adiit, & magistrum Libanum diligentissime audiit. Quantum vero opulentissimæ facundiae apparatus collegerit, testis est omni exceptione major D. Gregorius Nazianzenus orat. 20, quæ est Basiliī laudatio funebris. Quod, inquit, disciplinæ genus est, in quo versatus non sit, atque ita eximie versatus, quasi in eo solo elabo-

elaborasset? sic nimis omnia complexus, ut ne unum quidem quisquam; singula rursus ita ad summum, quasi nihil aliud præterea didicisset. Addit, fuisse & ingenio acerrimum, ita ut labore non indigeret; & ita laboriosum, ut non satis liqueret, utro nomine admirabilior esset. I numerat deinde genera disciplinarum: excelluisse Rhetorica, Grammatica, Philosophia; Medicina quoque, Astronomia, & Geometria fuisse imbutum; eloquentia vero tantum inter homines eminuisse, quantum homines mutorum animalium naturam anteeunt. Philostorgius quidem Arianus, maledicus Historiæ Ecclesiastice auctor, Basiliū criminatus est, negans, contentionē ac nervis eloquentiæ Antistitem hunc valuisse, in Panegyricis tamen & vīm habere, & pulcritudinem, ipsa rei evidētia fateri coactus est: ut observat peritissimus librorum veterum Photius in Myriobiblo, Codice 40. Ipse vero Photius Cod. 141 tantam esse in Basilio Magno eloquentiam ait, ut, qui ipsum possideat, nullum aliud præterea exemplar requirat, ne Platonem quidem, vel Demosthenem. Sozomenus Histor. Eccles. III 15 de Basilio ita tradit: omnium sui temporis eloquentissimum fuisse, inter omnes constat. Longius progreditur Desiderius Erasmus Roterodamus, vir

(H 5)

ad

ad reprehendendum, quam ad laudandum, multo magis proclivis: is Basilius M. tanti facit, ut pluris neminem; ideoque in epistola ad Jacobum Sadoleatum omnibus eum Græcis Romanisque Oratoribus anteponit. Quod ejus iudicium tale ac tantum Dominicus Burhslus, Criticus perspicacissimus, in Ingeniosis Patrum Sententiis refert, & silendo approbare videtur. De Græcis consentit Bandinus Gualfreduccius in Hieromenia, ubi Parte I ad diem 14 Jun. sic de Basilio canit:

Exquirat Sapientiam per urbes,

Quæcunque eximia stetere fama;

Vincat eloquio Atticas Athenas.

Clarius, & ut magistrum agnoscas, Carolus Regius in Oratore Christiano IV 8 inquit: *Basilius vero, quamvis Attica eloquentia nulli cedat veterum, ea tamen elegantia est vero Attica, id est, suci plena, gravis, sancta.* Preesse ac distinete celeberr. Muratorius, in libello utilissimo de Dignitate Eloquent. Popularis, c. 8 de Homiliis D. Basillii ait: „Nullus hic dicendi fastus, sed potius „simplex ac planus sermo; fortis ta- „men, ac mirifice & ad jucunditatem „per-

„ perspicuus , tum maxime cum argu-
 „ mentum venustis sine affectatione de-
 „ scriptionibus lætificat. Loci Scriptu-
 „ rarum , quos affert , innati videntur
 „ ac per se insiti , non arte , non studio
 „ vestigati. Quid multa ? nuspia non
 „ patet , consilium ejus fuisse , omnea
 „ erudire , singulis opitulari .“ Acu-
 leum in eos Muratorius emittit , qui
 locos Divinorum Librorum detorquent ,
 in descriptiones se absque modo effun-
 dunt , & solis doctis ingeniosisque so-
 venditare potius , quam intelligi vello
 ab omnibus videntur.

BASILIUS Seleuciensis vitam D. 844.
 Theclæ Virginis & Martyris , ejusque S. Basilium
 pro Christi religione certamina , proli- Seleuci-
 xo poemate celebravit : quod quidem ensis.
 non superest , testem tamen habet cer-
 tissimum , Photium in Myriobiblo seu
 Bibliotheca . Adhæsit ei in ceteris quo-
 que color & splendor aliquis poeticus ,
 sic tamen moderatus , ut materiæ san-
 citatem haudquaquam dedebeat , sed
 commendet potius & extollat . Cum
 profanis Græcij Oratoribus si cum com-
 paro , conjunctam invenio in uno Se-
 leuciensi suavitatem Isocratis , subtilita-
 tem Lysiae , acumen Hyperidias , soni-
 tum Aeschinis : solam Demosthenis vim
 deliderare in eo possis .

BEDA

845.
Vener.
Beda.

BEDA Venerabilis: quem, inquit
 B. No kerus, tam vicæ instituto, quam
 sanctimoniaz gloria Bedæ similis, l. de
 Illustrib Scripturæ Interpretib. c. 2,
 quem naturarum dispositor DEUS, qui quar-
 za die mundancæ creationis solem ab Oriente
 produxit, in sexta ætate seculi novum solem
 ab Occidente ad illuminationem totius orbis
 direxit. Librorum & opuscilorum S.
 Bedæ superest Index ab ipso scriptus,
 qui in melioribus editionibus ad calcem
 Historiæ Anglicanæ legitur. Quia ta-
 men ipse Dvus Indicem hunc a se exa-
 ratum esse testatur anno ætatis 59, post
 quem diu supervixit: ideo mirum non
 est, alios Bedæ libros extare, Indice
 illo non comprehensos, quippe postea
 elucubratos. Commentaria in Esaiam,
 Jeremiam, Danielem, omnesque Pro-
 phetas minores, quorum ipse Beda in
 Indice mentionem facit, injuria tempo-
 rum interciderunt. Commentaria ve-
 ro in Pauli Epistolas ex Augustino se
 contexuisse in eodem Indice Beda aper-
 te affirmat: ut adeo nulla caussa sit opus
 hoc Bedæ adimendi, & ad Petrum Ab-
 batem Tripolitanum cum Card. Baro-
 nio & aliis transferendi: quamvis enim
 Petrus quoque Tripolitanus Commen-
 taria in Paulum ex Augustini verbis
 collegerit, quæ perierunt, non ideo
 Beda labore suo privandus est. Sed
 uter-

ut ergo ista concesserit, quæ super-
sunt, non ille tamen, sed Augustinus
auctor est. Ceterum nec Vita Patricii,
nec Arnulphi, aut Columbani, D. Be-
dæ sunt; sed prima auctorem Probum
habet, altera Paulum Diaconum, Jo-
nam tertia. Epistola vero de Divina-
tione Vitæ & Mortis; precatio[n]es, in
quibus Angelus Uriel & Rumiell, ac
tres Jacobi invocantur; Collectaneum
de quatuor generibus lignorum in Chri-
sti Crucis; & Collectanea ac Flores
Vol. III Operum, non sunt ejus gene-
ris, ut tanto viro convenient. Colle-
ctaneum de Luminaribus Ecclesiæ etiam
D. Hieronymi Operibus a quibusdam
assumptum est, utrobique falso. Non
omnes ad Bedam pertinere Homilias
sub ejus nomine editas, monet Ioan-
nes Mabilio seu Mabillonius in Actis
SS. Ord. D. Benedicti, Seculo III,
Parte I, in Vita Bedæ § 31. Multas
tamen a se scriptas, teatis ipse est,
dum in librorum suorum Indice nume-
rat Homeliarum Evangelii libros duos.
Quanto in pretio fuerint Bedæ oratio-
nes super lectionarium anniversarium, ut
tum loquebantur, id est, in Evangelia
totius anni, ostendunt illa D. Bonifa-
cii Archiepiscopi Moguntini verba, in
epistola ad Egbertum Eboracensem
Episcopum, quæ inter Bonifacii Epi-
stolas

Itolas est octogesima quinta: „ Inhian-
„ ter desiderantes flagitamus , ut nobis
„ ad gaudium nostri mœroris eo modo,
„ quo antea jam fecistis , aliquam parti-
„ culam vel scintillam de candela Eccle-
„ siæ , quam illuxit Spiritus Sanctus in
„ regionibus vestris , destinare curetis,
„ id est , de Tractatibus , quos spirita-
„ lis Presbyter & investigator Sancta-
„ rum Scripturarum Beda reserando
„ composuit , partem qualemcumque
„ transmittere dignemini. Maxime au-
„ tem , si fore possit , quod nobis præ-
„ dicantibus habile , & manuale , & uti-
„ lissimum esse videtur super lectiona-
„ rium anniversarium. “ Memoria di-
gnum est , quod B. Notkerus l. de Il-
lustr. Script. Interpretib. c. 4 observat ,
Beda non tantum Hieronymi , Augu-
stini , & Gregorii sententias Commen-
tarios suos locupletasse , & multa e
Primasio quoque D. Augustini discipu-
lo mutuatum esse ; sed etiam e Tycho-
nio Donatista in libros suos transcribe-
re non dubitasse , quidquid profuturum
lectoribus judicasset. In his Collectaneis
seu Stromatis antiquorum verba ipsa ple-
rumque servat : in illis autem , quæ
Beda ipse invenit ac scripsit , nec ora-
tionis decora accersit , nec tamen ele-
gantia caret , facili stylo & rebus ipsis
accommadato animum suum exponere
solitus.

BE-

BERENGOSIUS, seu Berengo. 846.
 2us, Abbas, ut creditur, D. Maximi- Berengo-
 ni apud Treviros. Præter libros tres sius.
 de Laude & Inventione S. Crucis, &
 unum de Mysterio Ligni Dominicæ ac
 Luce antiquorum Patrum, quatuor
 tantum Sermones hujus auctoris ad nos
 usque pervenerunt. Eloquentia in eo
 singularis non est, sunt tamen hæc vi-
 ri scripta, ut in Bibliotheca Patrum ve-
 re inscribuntur, multa pietate, variaque
 piæ admodum bistoriæ cognitione referta.

BERNARDINUS Senensis, stu- 847.
 diosissimus & eloquentissimus præco san- S. Bernar-
 ctissimi nominis JESU, in cuius laudes dinus Se-
 semper excurrit, quoties in diversis nensis.
 Operum partibus occasio offertur. Ideo
 præstans Eloquentiæ Sacræ magister,
 & Seraphicæ RR. PP. Capucinorum
 familiæ lumen, Amadeus Bajocensis in
 Paulo Ecclesiaste II 5: *Vas electionis est
 mihi iste, ut portet nomen meum coram gen-
 tibus Obsoleverat augustissimi
 nominis JESU memoria; suscitatur Bernar-
 dinus, ut eam mundo restituat. Inter ejus
 Quadragesimalia eminent ultimum, seu
 quartum, cui titulus est Serapbim, ma-
 teria de DEI amore. Observandum ta-
 men, Quadragesimale hoc ultimum ex
 ore quidem Bernardini, sed e calamo
 fluxisse Danielis Purzilii Jurisconsulti
 Pata-*

Patavini, qui Divi concionantis verba; quantum assequi potuit, Patavii excepit: quo factum, ut alicubi non Bernardinus, sed Purzilius loquatur. Nullus ejus liber utilior illo, quem de Aspirationibus quotidianis ad DEUM conscripsit. Ab Augustino Da ho, in Orat. de D. Bernardino Senensi, tribuitur ei *sapiens & perpolita oratio*; sapiens, in qua ad persuadendum aptissima omnia; perpolita, ut illis temporibus. Qua conditione M. Antonius Coccius Sabellicus Enneade X l. V de Bernardino scripsit: *Orator sua tempestate maximus*. Hieronymus Platus, de Bono Status Relig. II 32: „Bernardus, num Senensem ex Ordine Minorum, ita dicendo valuisse accepimus, ut quocunque tempore, & quocunque loco concionaturus esset, non modo otiosi, sed ipsi opifices tabernis, reliqui etiam omnes domibus occlusis, ad eum concurrent.“ Ipse Aeneas Sylvius, qui deinde Pontifex Maximus Pii II nomen sibi indidit, l. de Europa c. 64 copiosam in eo eloquentiam merito laudavit: sua enim ætate tum ubertate dicendi, tum animorum motu excellebat. *Maximum ei studium*, inquit Sylvius, in edocendis populis fuit: qui cum esset facundia copiosus, & doctrina insignis, incredibili omnium attentione audiebatur,

tur, & , quasi alter Pau'us effet , vaselectio-
nis , in admiratione ac reverentia habitus .

BERNARDUS Abbas Clarævallis: 848.
de quo Jacobus noster Gretzrus Ope. S. Bernar-
rum Vol. XVII in epist. ad Ampliss. dus.
Antist. Cæfareensem, Joannem: „ Sua-
„ viloquentiæ laudem si quisquam inter
„ Christianos Doctores & Scriptores me-
„ retur, eam vel primus, vel cum pri-
„ mis meretur beatissimus Pater Bernar-
„ dus, cui jam communis omnium appro-
„ batione & suffragatione Melliflui co-
„ gnomen inditum est, propter oratio-
„ nis dulcedinem, qua ita præstat, ut
„ omnia ejus scripta nectar & an brosim
„ spirent, omnibusque gratiis delibera-
„ mirifice lectoris animum afficiant, &
„ liquidissima quadam voluptate perfun-
„ dant. “ Evidem & Ambrosium dul-
ce illud cognomen a melle & apibus
adeptum novimus, eo tamen discrimi-
ne, ut, si alter alteri comparandus sit,
M. Tullii verbis ita distinguere libeat:
Alterius (Bernardi) ingenium sic dulce,
ut acetum Aegyptium; alterius (Ambrosii)
sic acre, ut mel Hymettium dicimus. Cic.
in Fragm. Hortens. Est enim sæpe acer
& severus in doctrina morum Bernar-
dus; est jucundus inter aculeos Ambro-
sius: sed in Ambrosio suavitatem acri-
monia, in Bernardo suavitas acrimo-
nia.

niam vincit. Quapropter, ut loquitur
Theophilus Raynaudus, Operum T. IX,
in S. Bernardo Ape Gallica, § 5,
„sicut melis hominis sive mellifluus Xeno-
phon, referente Suida, dictus est
„Apis Attica: ita, & quidem multo
„verius, mellifluus Bernardus deno-
„minandus videtur Apis Gallica, eique
„illud Siracidæ merito accommodan-
„dum, Brevis in volatilibus est apis, &
„initium dulcoris habet fructus ejus.....
„id est, principatum, & ut ita dicam,
„verticem ac gradum primum suavita-
„tis & dulcedinis.“ Unde tamen, in-
quiet alquis, unanimis hæc omnium
vox, Mellifui nomen ad Bernardum præ-
ceteris deferectum? an a lenitate do-
ctrinæ? atqui austerus est sœpe, si quis
alius, an a consolatione, & blandis af-
fectibus? at non desunt e Patrum nu-
mero, qui nihil ei hac in parte conce-
dant. a stylo igitur, qui tinnulus & ex-
ultans fertur, & sœpissime in syllabis
ludit, vocabula vocabulis opponens?
sed non minus in hoc liberalis Augu-
stinus, Chrysologus, aliique. Veram
ego causam opinor esse felicitatem il-
lam singularem, qua Divinarum Scri-
pturarum verbis sensa sua omnia tam
apre expimebat, ut ad id ipsum nata
viderentur: quia nimirum, ut animad-
versum oit a Sexto Senensi in Biblioth.

Sancta I. IV, in *Bernardo*, „sic ab in-
 s, fantia sacras literas imbibit, & per
 „omnem ætatem memoria retinuit, ut
 „quoties aut aliquid loqui, aut scribe-
 „re tentaret, toties in verba & senten-
 „tias Sanctorum Scripturarum prorum-
 „, pere cogeretur.“ Idem auctor ibi-
 dem, ex omnium sententia, inter Ope-
 ra *Bernardi* primas defert Sermonibus
 in *Cantica*: *insigne*, inquit, *bugus auto-*
ris opus, *quod erudit omnes veteris ipsius*
taboribus praferunt. Sermones hos vere
 melleos, etsi numero sex & octoginta,
 non nisi ad initium Capitis III *Canticorum*
 vir sanctus perduxit, morte præ-
 ventus. Inde prosecutus est opus *Gil-*
bertus sive *Gillebertus Hoylandus*,
 spiritu styloque felix *Bernardi* imitator:
 sed & ille immortuus huic labore est,
 non ultra Caput V *Canticorum Sermo-*
nibus XLVIII progressus. Maximus
 etiam honos a summis viris semper est
 habitus libris de Consideratione ad Eu-
 genium Pontificem Romanum scriptis,
 in quibus, inquit alter *Bernardus Benæ-*
vallis Abbas in Vita Sancti II 8, tan-
 ta de natura divina differuit, ut videatur
 in tertium cœlum assumptus audisse quædam
 verba, quæ non licet homini loqui, & Re-
 gem in decoro suo vidisse. Sermones XVII
 in Psalmum XC, *Qui habitat, dulcissimis*
 argumentis vivæ & immobilis fiduciæ

132 LIBER XI. PATRES

in DEO reponendæ conserti sun'. Sermonibus , qui nunc inscribuntur super Missus est , ipse Bernardus titulum tribuit de Laudibus Virginis Matris , tum in p̄fatione , tum epist. 18 & 89. Orationes multæ p̄aclaro Bernardi nomine insignitæ sunt , quæ alium parentem habent. Sermo seu Meditatio in Vitam & Passionem Domini , cuius initium est , JESUM Nazarenum a Iudeis innocentem condemnatum , nec a Bernardo , nec ab Anselmo profectus est : nam & a Bernardo illud scribendi genus longe distat , nec Anselmum in eo agnoscit Gerbero seu Gerberonus , ille Anselmi editor & aestimator certissimus. Sermones de Davide Goliathi victore , de Maria Magdalena (Hodie misericordia & veritas) & in illud Psalmi , Custodit Dominus omnia ossa eorum , Nicolao Clavallensi ab eruditis ascribuntur. Sermo in Adventu Domini de XI Oneribus Esiae est Aelredi Abbatis Rievallensis in Anglia. Eiusdem est Sermo de JESU puerò duodecimi. Rursus Nicolai Clavallensis sunt Sermones tres de Natali Domini , quorum hæc initia ; Non poterit explicari sermo ; Exultate fratres in Domino ; Tandem de mari ad portum ; & de S. Stephano , Adhuc Filium Virginis. Orationes XV de Sermone Domini in ultima Cœna sunt B. Ogerii seu Oglerii

Abba-

Abbatis; incertorum vero auctorum hi Sermones: de Discipulis euntibus in Finaus; de Excellentia SS. Sacramenti & Sacerdotum (Non lateat vos, verendi Sacerdotes); de Villico iniquitatis, qui quidem non Sermo est, sed Epistola; de B. MARIA, Miraculum fuit, quod Virgo peperit; de Sap. VII, Sapientia vincit malitiam; de X Virginibus, Sponsus Christus est; de S. Andrea, Et quietum studium; de S. Nicolao, Nicolaus iste meus; Sermones & Meditatio in Salve Regina; ad Clerum Concilii Rhemensis; ad Pastores in Synodo; ad Prælatos in Concilio Generali, Non pro sapientia; de fugienda Cordis & Corporis Immunditia, Amator castitatis, cuius magna pars e Guerrico exscripta est; de Miseria humana, O bono, qui ex anima rationali & humana carne subsistit; de VII Donis Spiritus Sancti, Prima gratia est Timor Domini; Parabolæ de Pugna Spirituali, cum sua Appendice; in Cœna Domini, ex l. Proverb. Sedisti ad mensam divitum; in illud, Simile est regnum cœlorum homini negoziatori querenti bonas margaritas. Atque hic ultimus est ille Sermo, e quo toties sub Bernardi nomine adscito allata est notissima sententia: Nonne hæc religio sancta, pura, & immaculata, in qua homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius,

(I 3) scit

scit securius, moritur fiducius (non fiducialis) purgatur cito, præmiatur copiosus? Omnes hi Sermones, inter quos aliqui insignes, & auctore Bernardo cetero-quin minime indigni, propriis tamen Divi notis & indiciis carent, atque idcirco a veris ejus operibus merito secernuntur. Irrepit etiam in Bernardi Sermones Oratio nobilis de Natali S. Joannis Baptiste, *Hodie, dilectissimi, dies nobis illuxit insignis*, quæ est B. Petri Damiani. Sed jam etiam Libros & Opuscula dulcissimi viri Iustremus, & aliena resecemus. Celebris Epistola, vel potius Liber, de Vita Solitaria ad Fratres de Monte DEI, multo durior & absurdius est, quam ut neccarei Bernardi opus dici queat: contra si Guilielmi Abbatis Rhemensis ad S. Theodorici scripta cum isto conferas, tam similia inter se deprehendes, ut de vero auctore Epistolæ ad Fratres de Monte DEI ambigera jam non possis. *Vitis Mystica seu liber de Christo patiente ac moriente nihil habet cum Bernardo commune, sive stylum, sive totum tractandi modum respiciamus.* Mentionem quidem hiq auctor infert c. 17 Sermonum suorum de parvis; sed & Sermones parvos aut de parvis scribere cujuslibet est; & potuit hoc appingere imperitus aliquis, qui simile quidpiam de hoc argumento

in D. Bernardi Sermonibus legere se
meminisset. Liber *Meditationum* est pri-
mus Hugonis Victorini de *Anima*, &
liber de *Interiore Domo* ejusdem de *Ani-
ma* tertius. Hunc de *Interiore Domo*
alii inscripsere de *Conscientia*: nulla enim
re propemodum, nisi ordine, inter se
differunt. Sed alius est de *Conscientia*;
cujus proœmium, *Petis a me dilecte mi;*
& initium, *Conscientia bominis abyssus*
multa; nitori & suavitati Doctoris mel-
liti probe respondens. Liber de *Doctrina*
Puerorum, seu de *Ordine Vitæ & Mo-
rum Institutione*, Bernardi esse nequit,
cum ab alumno D. Benedicti scriptus
sit, ut c. 4 manifestum fit. *Scala Clau-
stralium* est Guigonis Carthusianorum
Prioris. *De Amore DEI*, seu de *dili-
gendo DEO*, duo sunt opera, multum
inter se diversa. Alterum ad Cardina-
lem Haimericum; cuius præfatio, *Ora-
tiones a me;* initium, *Vultis ergo;* Ber-
nardum parentem toto vultu & omni-
bus suis lineamentis prodit. Alterum,
cujus principium, *Venite ascendamus,*
non eundem parentem refert, nullo
jure in tam nobilem familiam adopta-
tum. Circumferuntur etiam exemplaria
Bernardi Soliloquiorum: sed puri puti sunt
libri de *Amore DEI*, quos modo reje-
ci, præfatione tantum addita, *In lacu
uniseria.* Aliud *Bernardi Soliloquium nihil*

ejus præter nomen habet. *Instructio Sacerdotis*, seu de præcipuis Mysteriis Religionis, alterius fortasse Bernardi, certe non Clavarallensis. *De Modo bene vivendi*, ad Sororem, præter alias rationes perspicuas, etiam hac repellitur, quod de Virginitate scribere Divus ad Humbelinam sororem non potuit, cum in matrimonio eam vixisse constet. Opusculum de Contemptu Mundi, in illud, *Ecce nos reliquimus omnia*, Galfridi seu Gaufridi Igniacensis, summa necessitudine Bernardo conjuncti. Falso etiam Doctoris suavissimi libris annumerata sunt *Speculum Monachorum*, *Documenta Vitæ Religiosæ*, liber Sententiarum, *VIII Puncta Perfectionis*, de *Doctrina Vitæ*, seu *Regimine Cordis, Oris, & Operis*; opusculum *Ad quid venisti?* & *Lamentatio Virginis MARLÆ*, nova lamentatione, quam laude dignior. Unum superest, quod ex Vita S. Malachiæ Episcopi Hiberniæ, haud dubio partu D. Bernardi, observo de *Proprietatibus illa*, seu Romaniorum Pontificum serie a Petro primo Christi vicario ad Petrum usque alterum, Antichristo quondam, si Superis placet, postremo seculo occursurum. Quo pacto autem credemus, Bernardum, cui intima quæque Malachiæ perspecta erant, vel hoc unum ignorasse, vel rem tam stupendam in eo libro negligisse,

xisse, in quo alia multo minora de amico carissimo ad posteritatis memoriam consignavit? Nihil ante Sixti V tempora de re tam admiranda auditum: neque is, qui primus in lucem protulit, ostendere fontem potuit, unde hauisset. Neque vero Divini Spiritus vaticinia ubique alludere ad nomina, ad insignia, ad patriam solent: multoque minus Sanctissimus ille Spiritus tot Antipapas in serie Summorum Pontificum collocasset. Quorsum autem procurrunt lusus illi, e syllabis & scutis petiti? ad ea tempora, quibus oracula hæc prodierunt: eo usque dilucida & liquida omnia: posteriora tam tenebri- cosa, tam impedita, ut ad Pontifices, qui inde ad nos regnarunt, summa vi detorqueri vix potuerint. an quia diffi- cilius erat de futuris, quam de præte- ritis vaticinari? Vide, si lubet, contra Pseudomalachiam hunc erudi- te ac solide disputantes, Claudio Franciscum Menestrerium (*Menetrier*) libro singulari, & Danielen Papebro- chium in Paralipomenis ad Conatum Chronicò. Historicum de Pontificib. Rom. Dissert. XLI, alias Append. IV Parte I p. 216.

BOETHIUS, vir summa nobilita-
te, & consularis, sed effuso pro vir- 849.
Boethius.
(15) tutis

tutis gloria sanguine nobilior. Nihil dico de commentariis philosophiam do-centibus, nihil de mathematicis, ac theologicis. Quod unum ad præsens institutum pertinet, sunt libelli de Consolatione Philosophiae, e prosa metrisque contexti: quos optima jure Johannes Bernartius initio Comment. in Boeth. Consol. gemmeos appellat. Petrus Bertius præf. in eosdem ait: *Ubi que adbuc effulget magnum illud & cælo affine ingenium.* Mox discrimen assignans Bertius, utroque in genere, inquit, fuso pariter, & numeris adstricto egregius, sed in hoc præcipue excellens. Multo his acutior judex, Julius Cæsar Scaliger, vir paucissimos laudare solitus, in Hypercritico, seu Poetices VI, inquit:
 „Boethii Severini ingenium, eruditio,
 „ars, sapientia facile provocat omnes
 „auctores, sive illi græci sint, sive la-
 „tini. Seculi barbaria, ejus oratio
 „soluta deterior invenitur: at quæ li-
 „buit ludere in poesi, divina sane sunt.
 „nihil illis cultius, nihil gravius. ne-
 „que densitas sententiarum venerem, ne-
 „que acumen abstulit candorem. Equi-
 „dem censeo paucos cum illo comparari
 „posse.“ Consolationem hanc in car-
 cere cum scribebat, omissis ceteris stu-
 diis id egit unum, ut se lectoremque
 quotidianis commentationibus adver-
 sus

fus omnem casum acerrime exercebat;
itaque lectissimis & virilibus utitur ver-
bis, ut & splendore animum recreat,
& erigat dignitate. Confirmatur ani-
mus, & afflurgit, cum virum legimus,
& plane virum, omni copia in even-
tus omnes instructum.

BONAVENTURA, Doctor Sera-
phicus: de quo supremus judex, Sixtus
V Pont. Max. in Litteris datis 1588
prid. Id. Mart. quarum initium est,
„Triumphantis Jerusalēm, § 1: „Inter eos,
„quos Dominus magnus Spiritu intelli-
„gentiæ replere voluit, quique tan-
„quam imbre eloquia sapientiæ suæ in
„Ecclesia DEI emiserunt, merito nu-
„meratur S. Bonaventura Confessor &
„Pontifex, & in eadem Catholica Ec-
„clesia Doctor eximius.“ Et § 3 ita
pergit: „Fuit enim in S. Bonaventura id
„præcipuum, & singulare, ut non so-
„lum argumentandi subtilitate, docen-
„di facilitate, definiendi solertia præ-
„staret, sed divina quadam animos
„permovendi vi excelleret.“ Bulla
rii Magni Vol. II, Sixtinorum Bulla 76.
In eandem sententiam Joannes Gerson,
Operum Vol. I, in Epistola Lugdunum
scripta A. 1426 inquit: „Sint alii Do-
„ctores, qui dicantur Cherubici; hic
„verissimo nomine Seraphicus simul &
„Che-

850.
S. Bon-
ventura.

„Cherubicus, quia inflammat affectum
 „& erudit intellectum, reducit & unit
 „ad DEUM per amorem extaticum;
 „dum alii multi solum divaricant & di-
 „spergunt intellectum per præcisiones,
 „prioritates & posterioritates, & signa,
 „& contingentia.“ Joannes Trithe-
 mius I. de Scriptor. Eccles. in Bonaven-
 tura: Profundus est, non verbosus; subti-
 lis, non curiosus; disertus, non vanus;
 flaminantia, non inflantia verba proferens.
 Bartholomæus de Barberiis, præfat. in
 Tabulam suam Generalem Operum Bona-
 venturæ, de Divi libris, inter quos
 Sermones de Tempore & de Sanctis totum
 Volumen III implent, ait: in quibus &
 flores odoriferi, & fructus suavissimi uberi-
 mique, cuique legenti exponuntur. Opu-
 sculum de VIII Collationibus non est
 Bonaventuræ: dubia sunt Speculum
 Disciplinæ, Biblia Pauperum, de Pro-
 fectu Religiosorum, Formula Novitio-
 rum, & Alphabetum Monachorum.
 Characterem Seraphici hujus Scriptoris
 egregie designavit Claudio noster Co-
 lombierius Vol. II orat. 38: Nein un-
 quam fui, qui vel in tali extensisate solidior,
 vel in tanta bac sublimitate facilior esset,
 atque ordinis certi tenacior.

851.
 Bruno
 uterque.

BRUNONES ambos conjungo;
 sanctissimi Ordinis Carthusiani condito-
 rem,

rem; & D. Brunonem Astensem, Ecclesiæ Purpuratum, & Episcopum Signensem. Litem illam ego meam non facio, qua Opuscula omnia, Tomo III Petreji comprehensa, ab eoque Parenti suo Brunoni Carthusiano a scripta, alii S. Brunoni Astensi vendicant. Ad usum Eloquentiæ Sacræ id non magnopere refert: utrilibet enim totius illius Voluminis libellos posteritas debeat, salva semper veritate pro concione dicentur Sancti Brunonis esse. Silentii quidem certo Carthusiani amorem Commentarii præse ferunt, tanta brevitate scripti sunt.

CAESARIUS ARELATENSIS.
Eorundem temporum æqualis, Ennodius Ticinensis, Epist. IX 33 ad Cæsariorum Galliæ Narbonensis Pontificem scribens, literas *hominum nobilissimo* mittere se profitetur, & ait: *Tu ceteros velut solis magnitudo astris minoribus comparata transgrederis In te lux convenit sermonis & operis.* Doctissimus Jacobus Sirmondus, Operum Vol. I in Commentar. ad Ennodium, in Epist. IX 33 de Cæsario suffragatur: *Episcopum sui seculi, ut jure vocat Ennodius, nobilissimo, doctrina, eloquentia, virtute sanctitatis clarissimo.* Ex homiliis Cæsarii aliquas esse alienas, vel certe interpolatas, confitendum est: occurrit enim in illis

852.
S. Caesari-
us Arela-
tensis.

illis mentio Gregorii Pontificis Maximi & Isidori Hispalensis, Cæsario posteriorum. Verum hæc fortassis *glossen* a tantum sunt, quæ primum aliena manu in margine libri adjuncta, postea in librum ipsum irrepsere. In Homiliis his, ut Ennodii verbo utat, *lux emicat*; *lux doctrinæ*, *lux claritatis*; non tamen eloquentiæ comptioris splendor.

853.
Cæsarius
Heisterba-
censis.

CAESARIUS HEISTERBACEN-
SIS. Reliquit posteris *Illustrium Mira-*
cotorum & Historiarum memorabilium, sui
potissimum temporis, libros XII, quos
ipse *Distinctiones* appellat. Vir hic ap-
prime religiosus, e celeberrima Cister-
ciensi familia, a Criticis, præsertim
heterodoxis, vehementer vapulat, tan-
quam rumoribus quibuscumque credu-
lus, & fabellis refertus. De fidelitate
Scriptoris securos nos esse jubent
illa Præfationis verba: *Testis est mihi*
Dominus, *nec unum quidem Capitulum in*
boc Dialogo (Dialogi enim forma totum
Opus innexit) me finisset. Quodsi ali-
qua forte aliter sunt gesta, quam a me scri-
pta: magis bis uidetur imputandum esse, a
quibus mihi sunt relata. Quem Historici
candorem etiam id confirmat, quod
narrationi de rebus Fratris Simonis de
Alna III 33 subjicit: Sunt adhuc alia mul-
ta & magna *Conversi* bujus opera; quæ ad
meam

meam notitiam non per venerunt: ex quibus tamen quedam audivi, quæ scribere nolui, eo quod relata minus bene retinuerim. Satius duxi, etiam vera subicere, quam falsa scribere. Recentiores tamen Critici contendunt, imponi sibi paullum esse Cæsarium, facilitate quadam animi, admiranda & fide majora suspicentis, suaque sinceritate alios metientis. Sapienter & moderate distinguunt Bollandi, peritissimi historiæ sacræ arbitri, T. I Septembr. ad ejus diem II, de B. Margareta Lovaniensi V. & M. ubi in Commentario prævio § IV n. 44 profitentur, se Divæ hujus Acta a Cæsario scripta ceteris omnibus anteferre; nam, quamvis nonnulla temporum illorum simplicitati magis, quam verisimilitudini respondeant, repudiari tamen ea non posse, quæ a verisimilitudine non sunt aliena, quæque exinde nosse potuit, quod iis & loco, & tempore esset vicinus. Taceo de stylo, qui si impolitus & barbarie inquinatus est, culpa in illo seculo residet: scripsit enim A. C. 1222, ut ipse X 48 inquit.

CASSIANUS. Controversa in Ioanne Cassiano plura sunt, patria, lingua, errores, sanctitas. Pro ejus sanctitate Vindiciae plurimum in lucem prodiere: instar omnium erunt Acta Sanctorum maxi.

854.
Cassianus.

maxima Bollandina, in quibus T. V
Julii, ad diem XXIII, Sylloges Histor.
§ 1 Sancti nomen & cultus, tum apud
Græcos, tum apud Latinos, & quidem
antiquissimus, firmis argumentis Cassia-
no afferitur. Eadem Sylloge § 2 quæ-
stionem componit de Cassiani patria,
quam plerique Scythiam esse opinan-
tur, Gennadii auctoritate nixi: hæsi-
tantibus aliis, præsertim quod Photius
Romanum appellat. Hæc l. d. ita in-
ter se conciliantur, si Thracia ejus pa-
tria statuatur, Constantinopoli tum
subjecta: nam Romani nomen, quod
Photius aliisque Græci passim Cassiano
tribuunt, apud ipsos Constantinopolita-
num indicabat. Sic & Gennadio satis-
fiet, si tamen ille Scyham dixit: Scy-
thia enim Pontica pars Thraciæ fuit.
In dubium quoque adductum est, quo
sermone scripsit, græcone, an latino.
Certe multa ejus exemplaria reperiun-
tur græca: homo græcus, in Græcia
educatus, Chrysostomi discipulus, Græ-
corum legatus, per Orientem tot annis
peregrinatus, contra Nestorium ad
Constantinopolitanos quidni græce scri-
psit? Collationes vero non græce,
sed latine a se scriptas, ipse prodit,
tum I 5, III 15, IV 6, X 21, & XIV
16, tum maxime præf. in l. I Collat.
ubi ait, referre sc Patres illos veteres
Orien-

Orientalium, sententiam suam explicantes, & quod est majus, latino disputantes eloquio. Et vero quorsum libros græcos ad Massilienses, qui lingua latina utebantur? Jam de erroribus, qui in Cassiano occurrunt, hæc breviter memoranda sunt. In libris XII de Institutis Cœnobiorum nullus inest manifestus error. Puri sunt etiam VII de Incarnatione, nisi quod Christum, uti & in Collationibus, *Hominem Dominicum* vocat. Sed hic loquendi modus, ab aliis etiam Patribus usurpatus, quo sa- no sensu exponi vere possit, ab ipso Doctore Angelico, Eximio, aliisque accurate ostensum est. Inter Collationes vero, præter alia paucula, decima tertia est famosa illa, in qua Abbas Chæremon de divina gratia & libero hominis arbitrio male sentit: atque hanc D. Prosper toto libro *contra Collatorem* refutat, errores Massiliensium ipsi Cassiano imputans. Sed facile ac expeditum remedium suppetit adversum hos errores, quos bonæ editiones, præcipue Alardi Gazæ omnium præstantissima, vel additis Notis elidunt, vel opposita Prosperi aut Dionysii Carthusiani doctrina orthodoxa configunt. Ceterum Ven. Nicolaus Lancicius, cui singularis cum Patribus familiaritas divinitus data est, Opusc. IV seu de Domi-

nio Passionum, in proœm. scite Cassianum tuctur, & plures ejus locos affert, quibus doceat, gratiae divinæ necessitatem ab ipso agnoscere, & affirmari, dum ex sua sensu loquitur. Abstergis his nævibus, non suis, mirum est, quantis laudibus Cassianus ad cælum feratur. Qui accumulata elogia cernere uno loco gaudet, quam plurima inveniet apud Julium Nigrorum Tract. V Ascet. de Lectione Librorum Spiritual. c. 3 n. 12, ex Climaco, Gennadio, Cassiodoro, S. Benedicto, Photio, Vincentio, S. Antonino, Humberto, Dionysio Cartusiano, Vita S. Fulgentii, & Instituto S. J. Summatim dicas, quanta vi & eruditio in libris de Incarnatione contra Nestorium Cassianus agit, tanto pondere tantaque contentione in libris ceteris contra vitia animorum pugnare. Quocirca eleganter ac definite Joannes Cardin. Bona, in Notitia Auctorum, quæ extat ad calcem libri de Divina Psalmodia, in Joanne Cassiano: Monastæ perfectionis perfellissimus Magister. Sed & illud Cassiano ex omnibus Patribus proprium, quod natus in solo barbaro, sive Scytha, sive Thrax, nihilominus styllo cunprimis latinus fuerit, uti de eo scribit Hieronymus Platus de Bono status Relig. II 25. adeo quidem, ut vel Aristarchus ille, eruditissimus Gerardus Joan.

Joannes Vossius, Aristarchi sui III 27
elegantem scriptorem fateri non dubitarit.

CASSIODORUS, *sua aetate*, inquit
P. N. Joannes Paulus Oliva in Conc.
Palat. Apost. ad Alexandrum VII, conc.
13, *sagacissimus inter studiosos, inter prove-*
cios celsissimus; inter domesticos (Regis Cas-
siodori) primum Senator Ravennæ, de-
inde Consul Romæ, Ostrogothorum Regum
semper Cancellarius; ac demum Monachus
Cassinensis, & Abbas Sancti Vitalis. Li-
bri XII Variarum non sunt opus sacrum,
sed civile, collectum ex Epistolis a
Cassiodoro scriptis nomine Theodorici
Ostrogothorum Regis, ejusque nepo-
tis Athalatci: quibus & a secretis, &
alioqui carissimus extitit. Nihilo se-
cius in his etiam libris, in quibus ars
politica & eloquentia regnat, omni or-
natu compta, quem illius temporis la-
tinitas recipiebat, cum delectatione &
concinnitate aculeos relinquit in ani-
mis eorum, qui mores attendunt. In-
ter sacra, quæ deinde scripsit, eminent
volumen in Psalmos: cuius accurata
descriptio extat in Bibliotheca Sancta
Sixti Senensis libro IV in Aurelio: „ Per-
„ strinxit compendiosa & eleganti bre-
„ vitate, quidquid S. Augustinus in
„ Psalmorum Tractatibus copiosissima
„ enarratione profuderat, intermis-
(K 2) „ etiam

855:
Cassiodor
rus:

„ etiam de suo non contemnendis arti-
 „ notationibus, definitionibus, propor-
 „ sitionibus, & axiomatibus nonnullis,
 „ ex grammatica, dialectica, rhetorica,
 „ musica, geometria, astronomia, arith-
 „ metica, & alijs disciplinis: quibus,
 „ tanquam stellis, ac gemmis, nitidam
 „ operis sui texturam exornat; accom-
 „ modatis rhetorico more ad singulos
 „ Psalmos brevibus præfatiunculis . . .

„ . . Deinde in ipsa enarratione verba
 „ ac versiculos Psalmi necessaria qua-
 „ dam ordinis consequentia artificiose
 „ inter se connectens, anagogicæ po-
 „ tissimum explanationi incumbit, om-
 „ nia in Christum finem omnium refe-
 „ rents. Demum in fine singulorum
 „ Psalmorum apponit brevem a se di-
 „ citorum epilogum: in quo ethicum
 „ aliquid anagogicæ immiscens, lectoris
 „ animum inflamat.“ Liber de Ami-
 „ citia Petri Blesensis est, non Cassiodo-
 „ ri. Neque Commentarium in Cantica
 „ Canticorum relinquere nos ei sinit lo-
 „ cus ille, quem e Gregorio Magno af-
 „ fert: nisi tamen per *glossema* assutus est.
 „ certe Tritheimius inter Opera Cassiodori
 „ etiam librum in Cantica numerat.

856.
 S. Chro-
 matius.

CHROMATIUS, Aquilejæ Epi-
 scopus: cuius Homiliæ & fragmenta su-
 persunt de VIII Beatitudinibus & in
 alios

alios quosdam ex Evangelio Matthæi locos. Divus Hieronymus præf. in Paralipom. seu epist. 107 sic eum aliqui quitur: *Chromati, Episcoporum sanctissime, atque doctissime.* Omnes tamen rejiciunt epistolam sub nomine Chromatii & Heliодori ad Hieronymum, & Hieronymi ad eosdem, *de Nativitate B. V.* ob rationes a duobus Purpuratis intelligentissimis Baronio & Bellarmino allatas. Quæ in eo super cetera conspiciuntur, fervor & sinceritas, ad ipsum scribens D. Joannes Chrysostomus epist. 155 conjunxit: *Clarissima ferventis tuæ ac sincere caritatis tuba ad nos usque sonum suum diffudit.*

CHRYSOSTOMUS, seu Os aureum: quem aureum flumen Christianæ eloquentiæ recte appellaverimus, inquit purpuratus Eloquentiæ Sacrae doctor, Augustinus Valerius, Cardinalis & Episcopus Veronensis, *de Rhetorica Ecclesiastica* III 12. Antonius Vieira, ætate sua per Europam & Americam summa ingenii & eloquentiæ fama potitus, orat. in Dom. Sexages. Joannes Chrysostomus, inquit, *Evangelicorum principis Oratorum.* Nec minus rotunde orat. in Dom. IV Quadrag. *Vir facundissimus scriptores omnes eloquentia superavit.* Per spicax Cardinalis Sfortia Pallavicinus l. de Stylo c. 3 § 5 inquit: *Velut ab elo-*

857.
S. Chryso-
stomus.

(K 3) quen-

quentia ipsa adoptatus, nomen inde Chrysostomi traxit. Evidem cognomentum hoc profani etiam Dionis Chrysostomo indicere, homini vere religionis experti, cuius orationes ad hæc usque tempora pervenere; facundæ illæ quidem & elegantes, sed si quis opponat Patriarchæ Chrysostomo, græcum illud adagium repetemus: Culicem elephanto comparas. Ad Sacrae Eloquentiæ usum intentis Cicero ille Christianus, Paulus Segnerus, hunc ante alios omnes ostendit, & in Institut. Parochi c. 7 § 1 ita scribit: S. Joannes Chrysostomus, vera sacrorum præconum idea. A veris ejus operibus removendæ sunt Enarrationes in Psalmos CI, CIL, CIII, CIV, CV, XVI, CVII, & CXVIII, quippe a Theodoreto exaratæ. In Homiliis ad Populum duo sunt advertenda. Primum est, quis ille Populus fuerit: ne forte per incogitantiam, quam hæc in re inter summos etiam viros aliquando mirati sumus., sermones illos Constantinopoli habitos dicamus: nondum enim Pontifex erat Chrysostomus, cum hæc diceret, sed sacerdos Antiochenus, & ad Populum Antiochenum veba faciebat, ut & ipsa Homiliarum harum inscriptio, & singulæ paginæ in fronte testantur. Alterum est, ex his ipsis Homiliis solas 21 primas a Chrysostomo scriptas, nec unquam pluros græco

græce repertas esse; reliquæ 58 latinæ
captum occurunt, rectius a ceteris se-
parandæ, quod a Sigismundo Gelenio
factum videmus: sunt enim, ut Fron-
to Ducæus in *Notis ad Chrysost.* *Homilias*
appellat, centones & fragmenta a
studioso quodam viro e Chrysosto-
mi Homiliis veris collecta: quod
ad eo certum est, ut oculis ipsis Ducæ-
us subjecerit, & singillatim enumerarit,
e quibus Chrysostomi Homiliis unaquæ-
que istarum sumpta & coagmentata sit.
Et si porro de rei summa nihil detrahi-
tur, si hæc populo tanquam a D. Chry-
sostomo dicta commendamus, a quo
vere dicta sunt: in numero tamen &
loco Homiliarum falsitas residet, si, ut
exempli caussa dicam, notissimum illum
locum proferas, Quot esse putatis in civi-
tate nostra, qui salvi fiant? infestum qui-
dein es?, quod dicturus sum, dicam tamen:
non possunt in tot millibus centum inveniri, qui
saluentur: quin & de his dubito: si tu, inquam,
hunc locum proferas, & cum pluribus
aliis asseyeres, ita scriptum esse a Chry-
sostomo hom. 40 ad Populum Antio-
chenum: verum quidem erit, ita scri-
ptum esse a Chrysostomo; sed falsum,
ita scriptum a Chrysostomo esse homilia
40 ad Populum Antiochenum: nam ne-
gare homilia illa quadragesima a Chry-
sostomo profecta est, cuius ad Popu-
(K 4) lum

lum Antiochenum non nisi viginti & una sunt; neque omnino verba hæc ad Populum Antiochenum dixit, sed in Commentariis scripsit, unde ille nescio quis factitiam hanc, seu mavis factitiam, homiliam quadragesimam ex hom. 24 in Acta, & hom. 68 in Matthæum compedit: ut adeo, quemadmodum dixi, tam numerus homiliæ, quam titulus, falsi sint. Idem Fronto Ducaeus, antiquorum Patrum, & græcæ linguae notitia vir clarissimus in sua Chrysostomi editione, Parisis A. C. 1609-1624 curata, totum Tomum VI Sancto Patriarchæ ademit, homilias omnino 73 complexum. Dicitur ea ratione, quod stylus ab aliis Chrysostomi operibus discrepet, plenus prosopopœjis, saepè allegoricus, & concisus, carens lepore Chrysostomi proprio. Nec movetur conciliorum auctoritate, a quibus nonnullæ ex homiliis his Chrysostomi nomine insigniuntur: eo quod Concilia auctorum sententias, non personas considerent. Fatur tamen, orationes has esse auctorum ejusdem ætatis, vel certe Chrysostoma non multum inferioris. Apud me quidem Ducæi auctoritas tanti momenti est, quanti esse debet suffragium Critici in dijudicandis Patribus celeberrimi, cui nullum hujus officii præsidium defuit, vel potius dicam, cui nullum non abunde
ad.

adfuit. Sed vulnus tam luculentum
infligere Operibus Oratoriis aurei ob
solam styli diversitatem non ausim.
Certe, si opus fuerit, in aliis Chryso-
stomi certis orationibus ac libris profo-
popœjas & allegorias totidem possim
ostendere, incita vero innumerabilia:
neque istis, a Ducæo repudiatis, adeo
lepos deest, ut ornamentis non affluant
maximis & copiosissimis. Itaque cum non
cogat nos stylus tam magnam Chrysosto-
mi partem recidere: illi tribuere Orato-
rem non dedebeit ea, quæ ipsi tribue-
re Concilia inter Græcos Latinosque
non dedecuit. Siquis tamen voluerit,
Ducæum ipsum l. d. consulat, & ho-
milias has in dubias referat. Ego in Ho-
miliarum indice, quem pro festis totius
anni præcipuis hoc ipso Libro XI sup-
peditabo, omnibus a Ducæo rejectis
hoc ipsum ejus judicium ascribam, ut
Lector sollicitus de qualicunque hoc
periculo admoneatur. Illud autem,
non solius Ducæi, sed nobilium Criti-
corum omnium iudicio vitañdum, ne
Chrysostomi nomine decoretur auctor
Operis in Matthæum, quod Homiliis
Chrysostomi in eundem addi in editio-
nibus, & *Imperfectum* dici solet, pro-
pterea quod manus ultima volumini
non est imposita, postremis tribus
Matthæi Capitibus sine commentario

relictis. Evidem scriptor subtilis ac doctus, & in eloquendo disertus, utilia quam plurima subministrat: sed a Chrysostomi nomine longissime abest homo haereses lue vitiatus, qua & ipsum hunc librum saepius corruptit. Opusculorum optimum, & ingenio ac magnanimitate plenum est, quod inscribitur, *Neminem laedi nisi a se ipso:* quod extremo vitae tempore a sancto Pontifice scriptum, nunquam tamen in concione pronunciatum est. Majorum vero operum nihil praestantius corposse Homiliarum in Paulum: de quibus merito Jacobus Alvarus a Pace (*Alvarez de Paz.*) optimorum Ascetarum fortasse optimus, T. I de Vita Spirit. L. I Parte I c. 2: *Chrysostomus Pauli Epistolas est supra captum humanum interpretatus.* Quod mirum non est: nam & amabat Paulum mirifice; fere autem in illis studiosius & felicius elaboramus, quorum sumus amantiores; & amabatur vicissim a Paulo plurimum, quem Proclus, postea successor Chrysostomi & CP. Patriarcha continuis tribus noctibus cum eo colloquenter vidit, & suggerenter, quo potissimum modo Epistolas suas interpretaretur. Ita narrat Georgius Alexandriæ Episcopus in Photiano Cod. 96. Et profecto haec in Paulum Homiliae, ut cum P. eto Ribadeneira loquar, in Flore Sancto.

ctorum ad 27 Jan. seu in Vita Chrysost.,
tam divinam spirant eruditionem, ut non
immerito Apostolico videantur ore dictatae,
Aureum in Chrysostomo eloquentiae
characterem Photius in Myriobiblio Cod.
86 hunc statuit: *Clarus enim est atque
perspicuus, & persundendi ut cum jucun-
ditate floridus.* Nostri seculi Criticus
notissimus, Ludovicus Antonius Mu-
ratorius, in libello perutili de Dignita-
te Eloquentiae Popularis, c. 8 inquit:
*Gaudet Chrysostomi eloquentia bac incompar-
abili prærogativa, quod simul sublimis &
simul popularis sit.* Siquid his licet ad-
jungere, genus dicendi Chrysostomo
fusum est, vehemens, commotum &
forte in agendo; præmunitum, & ex
omni parte suæ materiæ septum; acre,
enucleatum, in re urgenda commo-
rans; nunc terrens, nunc supplicans;
summa orationis varietate, nulla legen-
tium satietate. Singulare est, quod,
nisi monuisset ipse, fortassis nemo un-
quam deprehendisset; siccitas naturæ
tanta, ut ad fletum vix unquam com-
moveretur. Faretur id, veluti excus-
sans, hom. 8 in epist. ad Rom. tametsi
unum alterumve locum legere me in
Chrysostomo meinipi, ubi flere se di-
cit; e quibus ille est hom. 8 in Actis
Apost. L. IX N. 680 a me allatus. Erat
nimirum summo huic Oratori innata se-

veritas, ut ad iracundiam & reprehensionem potius, quam ad leniores affectus propenderet, quemadmodum in ejus Vita tradit Georgius Episcopus Alexandrinus, illud quoque commorans, acrimoniam ei tantam fuisse, ut nimis etiam rigidus & asper suis sacerdotibus videretur.

358.
S. Cle-
mens Ale-
xandri-
nus.

CLEMENS ALEXANDRINUS. Sancti hujus Doctoris, qui Athenis natus, Alexandrinæ Ecclesiæ non Patriarcha, sed Sacerdos fuit, Philosophiæ Platonicae non minus, quam Divinorum Librorum peritus. Extant ejus Protrepticon, Pædagogus, & Stromata: utinam & liber de Canonibus Ecclesiasticis superesset! D. Hieronymus in epist. ad Magnum, ubi optimos & facundissimos christianorum Scriptorum enumerat, huic eruditionis palmam defert, his verbis: *Clemens Alexandrinæ ecclesiæ presbyter, vir meo judicio omnium eruditissimus.* In ejus libris tanquam in speculo mores antiquæ Ecclesiæ reluent: quamvis enim cujuscunque generis Initituta sic scribantur, ut præcepta tradant quam perfectissima: nunquam tamen Clemens, tanta prudentia vir, tales Christianorum mores prodidisset, nisi tales suo seculo, post Christum secundo, institutiones omnium, mores plurimorum esse scivisset.

CLE-

CLEMENS ROMANUS , Apo- 859.
stoli Petri discipulus , ejusdemque post S Cle-
Linum & Cletum in Romano Pontifi- mens R.
catu successor. Summam celebritatem manus.
consecuta , & maximis laudibus etiam
ab antiquis Patribus ornata est ejus
epistola prior ad Corinthios , qua dissidentes ad mutuam concordiam revoca-
vit : sed eam temporum injuria sustulit.
Periit & altera ad Corinthios , aliaeque
plures : nec hæ ipsæ , quas habemus
Clementis epistolas , certæ sunt. Re-
cognitionum Opus , & Constitutiones
Apostolicæ , etsi præclara multa conti-
nent , atque ideo a veteribus laudantur
interdum , apocrypha tamen sunt , &
ab heterodoxis corrupta. Liturgia vi-
detur esse Clementis , vel potius ipsius
Petri , a Clemente scripta , sed ab aliis
deinde aucta. Disputatio S. Petri cum
Apione , & ejusdem Apostoli Itinera-
rium , quæ sub Clementis nomine cir-
cumferuntur , jam pridem ab omnibus
repudiata sunt. Maximæ dimicationes
de Canonibus Apostolorum susceptæ
sunt , quas qui primus e græco latine
vertit , Dionysius Exiguus , quinquaginta tantum reperit , quorum ultimus
est de Neophytis in Baptismo ter mer-
gendis. Sentim numerus hic ad sum-
mam LXXXV Canonum excrevit : de
quo auctario laborandum non est , ut-
pote

potu manifestis erroribus contaminatos
ac proinde nec a Clemente, nec ad
Apostolis profecto. De primis autem
quinquaginta Canonibus si dicitur, esse
apocryphos, id non ita accipiendum est,
quasi opus ipsum & Canones illi reji-
ciantur; sed ne credantur pars esse
Divini Canonis seu Codicis Bibliorum,
ut olim quidam opinabantur: id autem
minime obstat, ne sint *authentici*, etsi
non sint *canonici*; hoc est, ne vere ab
Apostolis emanarint, etsi liber non sit
pars Bibliorum & verbum D^EI scriptum.
Erudite ac solide rem versat doctissimus
Cæsar Baronius Annal. Ecclesi. T. II ad
A. C. 102, qui tamen quia fusior est,
quam instituti mei cursus patitur, epi-
tomen ascribo Henrici Spondani Pon-
tificis Appamensis, Anno dicto, n. 6:
„Quod quæ in eisdem Canonibus de-
„creta esse noscuntur, ab omnibus
„æque recepta fuerint: iidem merito,
„licet non canonici, tamen authentici
„dici debent: cum vix sit reperire ca-
„tholicum Scriptorem Ecclesiasticum,
„aut sacrum conventum Episcoporum,
„penes quem aliquis ex Canonibus
„non inveniatur pari consensioue pro-
„batis. Unde coarguas falsam Isidori
„Mercatoris apud Gratianum lectio-
„nem, qua dicitur, SS. Patres illis
„minime assensum præbuisse, quod ab
„hære-

,, hæreticis sub nomine Apostolorum
,, compositi dignoscerentur: cum tamen
,, nihil in illis quinquaginta a Dionysio
,, translatis, nisi quod Apostolicam do-
,, ctronam & sanctissimam morum disci-
,, pliniam redoleat, sit invenire: & il-
,, lam prorsus veriorem atque proba-
,, tiorem agnoscas ejusdem Isidori sen-
,, tentiam, quam idem Gratianus paulo
,, inferius ex legitimo atque germano
,, textu reddidit. Denique quod ex
,, parte quidem nominis, quia videlicet
,, incertum est eos ab ipsis Apostolis
,, esse conscriptos, iidem censerentur
,, Apocryphi; & tamen non nisi ex
,, traditione Apostolica eorum doctrin-
,, nam manasse, sanctissimi Patres & sa-
,, crosancta Concilia certo exploratum
,, haberent: ea de causa imprimis fa-
,, ctum videtur, ut, quamvis ex illis
,, firmissimam consueverint auctoritatem
,, petere, tamen Apostolorum nomine
,, speciatim citare temperaverint, &
,, potius sententiam quam verba descri-
,, pserint. “

CLIMACUS. Fuit Joannes Clima-
cas in Asceterio Montis Sinai Abbas,
& ipsum *Climaci* nomen suo libro de-
bet, quem solitariis veluti Scalam ad
vitæ sanctimoniam & sublimem in cælo
gradum construxit: quod enim Latinis
Scala,

Scala, id Græcis *Climax* est. Magnus vir, & perfectus vivendi magister: qui etsi templorum luce caruit, & suggestu publico abstinuit, intra sacros parietes aluit eam gloriam, quæ, si modo obsequi huic duci libeat, vere magnos facere ac beatos poslit.

861. **CYPRIANUS.** Primum gloriose rhetorica docuit, teste D. Hieronymo libro de Scriptorib. Eccles. ubi & superfluum esse ait, ejus ingenii indicem texere, cum sole clariora sint ejus opera. Idem epist. 13 scribit: *Beatus Cyprianus, in star fontis purissimi, dulcis incedit & placidus.* Dulcedinem & Augustinus prædicat, a quo Cyprianus doctor suavissimus nominatur, de Doctrina Christiana II 40. D. Eucherius, in epistola ad Valerianum, inter clarissimos facundia cum Lactantio Firmiano & Minutio Cypriani quoque & paucos alias ponit. *Eloquentia pollens* ab Hieronymo dicitur epist. 84. Siquis vero recordabitur, Cyprianum imitando Tertulliano dedisse operam, atque adeo Magistri nomine eundem honorasse: mirabitur non immerito, quo pacto suavissimus, & *in star fontis purissimi, dulcis & placidus* esse hoc magistro potuerit. Dubitationi occurrit sapientissimus Cardinalis Johannes Bona in Notitia Auctorum, subiecta

Eta libro de Div. Psalmode. in Cypr. ita
eum cum Tertulliano componens: Cy-
prianus Martyr, floridus, suavis, doctus;
& efficax ad persuadendum. Tertullianum
in quibusdam opusculis imitatus; sed stylo
clariori, & elegantiori. Liber de Reve-
latione Capitis S. Joannis Baptistæ,
quæ toto seculo eoque amplius post
mortem Cypriani contigit, ab eo scri-
ptus esse nequit. Similis temporum
ratio impedit, ne liber de XII Abusio-
nibus sive Cypriani credatur, sive Au-
gustini: nam & hujus Operibus amix-
tus est. Nimia styli differentia libros
de Monte Sina & Sion, de Singularita-
te Clericorum, de Judæis Christum in-
sequentibus, multoque maxime de Cœ-
næ Dispositione, ab Operibus Cypria-
ni sejungit: parem styli diversitatem
in libris de Spe venie ad Novatianum,
de Laude Martyrii, de Disciplina &
Bono Pudicitiae, deprehendere sibi vi-
sus est Erasmus Roterodamus, quam
tamen alii non agnoscunt. At librum
de Duplici Martyrio ab Erasmo ipso
confictum esse, sive ut stylum exerce-
ret, sive ut orbi literato illuderet,
conjectura Pamelii est: quæ & aliis
placuit, & joculari ac superbo Erasmi
ingenio pulcre convenit. Liber de
Spectaculis in dubium venit: sed imi-
tatio Tertulliani, quam aperte præfert,

fortasse de Cypriani elegantia plusculum detraxit. Expositio Symboli Apostolorum est Rufini Aquilejensis, sub cuius etiam nomine inter Opera Hieronymi extat. Liber de Aleatoribus a Romano quodam Pontifice, cuius nomen latet, exaratus est, ut ejus principium indicat. Dialogus de Incredulitate Judaica ad Vigilium græci auctoris est, non latini; ac ne interpretis quidem Cypriani, sed Celsi, cuius nomen sub finem legitur. Carmina & Precautiones, indigna Cypriano non sunt, valde tamen incerta. Ad extremum reservavi Sermones de Cardinalibus Christi Operibus, probabilius Arnoldi Carnotensis, sed utique non Cypriani; quorum quia frequens in Sacris Orationibus est abusus, singillatim eos ita recenso, ut nuncupari solent:

De Nativitate Christi.

De Circumcisione Christi.

De Stella & Magis, ac Innocentum nece.

De Baptismo Christi, & manifestatione Trinitatis.

De Jejunio & Tentationibus Christi.

De Cœna Domini, & Institutione Sacramenti.

De Ablutione pedum.

De

De unctione Chrismatis, & aliis Sacramentis.

De Passione Christi.

De Resurrectione Christi.

De Ascensione Christi.

De Sancto Spiritu.

Accedat imago Cypriani, vivis coloribus expressa & polita ab artifice optimo, Lactantio Firmiano : „ Unus igitur præcipuus & clarus extitit Cyprianus, quoniam & magnam sibi gloriam ex artis oratoriæ professione quæsierrat, & admodum multa conscripsit in suo genere miranda. Erat enim ingenio facili, copioso, suavi, & quæ sermonis maxima est virtus, aperto, ut discernere non queas, utrumne ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in persuadendo fuerit. “ Divin. Institut. V 1.

CYRILLUS ALEXANDRINUS.

862.

Ejus Thesaurus de SS. Trinitate, vere thesaurus. Par opulentia in libris de Adoratione in spiritu & veritate: quorum titulum, & preium, in librorum suorum præcipuo Joannes Eusebius Nierembergius feliciter æmulatus est. Commentariorum in Joannem libros X Cyrillus contexuit, quorum quintus, sextus,

(L 2)

tus,

S. Cyril-
ius Ale-
xandri-
nus.

tus, septimus, & octavus cum interiō-
rint, scriptis ad imitationem supplemen-
tis Jodoeus Clichtoveus eam jaētura n
integravit: in quibus ab illorum errore
cavendum est, qui solum Cyrilli nomen
in fronte respicientes, Clichtovei sen-
tentias cum Sancti Patris nomine copu-
larunt, & falsæ auctoritatis fulgore sibi
& aliis imposuerunt. Glaphyra, seu
libri in Pentateuchon, omnino Cyrilli
sunt, dempto tantum Levitico: in eum
enim quæcumque in exemplaribus no-
stris leguntur, ad verbum recusa ex
Origone sunt. Apologi Morales, qui
Cyrilli nomen ementiuntur, ne sunt
quidem græcæ originis, sed latinum,
quisquis est ille, parentem habent.
Magni hujus Patriarchæ, præsertim de
Dominicæ Incarnationis mysterio prælare
meriti, singulare decessus est, quod, au-
tores Gennadio c. 57 de Viris Illustribus,
tantam in Orientali Ecclesia auctorita-
tem & existimationem collegit, ut ejus
Homilias Episcopi Græci etiam memo-
riæ commendarent.

863.
S. Cyril-
lus Hiero-
solymita-
nus.

CYRILLUS HIEROSOLYMITA-
NUS. Ejus Catecheses, tam Extem-
porales, quam Mystagogicæ, validum
sunt propugnaculum orthodoxæ verita-
tis, contra illos potissimum, qui veram
Christi præsentiam in adorando Eucha-
ristia

ristiæ mysterio inficiantur. Sanctus hic Pater, uti vivens pugnavit, ita mortuus certare non desinit. Sæpe de sua sede dejectus, majore semper gloria restitutus est. Post mortem a suis & mensæ dominicæ hostibus identidem oppugnatus, suis iple se libris tuetur, & falsitatem jugulat, æternus ac insuperabilis victor. Grandis est verbis, sapientissimus sententiis, toto genere gravis.

DAMASCENUS, Joannes, ab aureo eloquentiæ fulmine dictus a Græcis ^{864.} S. Damascenus. Chrysorrhoas, heterodoxorum sui temporis malleus extitit. Flos Operum sunt libri de Fide Orthodoxa, in quibus universam Theologiam stabili ordine certaque methodo disposuit: unde operis sui ideam concepisse animo & formasse Magister Sententiarum primo, post etiam D. Thomas creditur. In quibus Theologiæ Scholasticæ incunabulis observatu dignum est, primum ejus auctorem Damascenum tam procul a styli horrore ac barbarie abfuisse, ut auro affluere videretur, & gloriosum Chrysorrhoæ cognomentum auferret. Duo sunt, quæ dissimulare non possum, ne Lector benevolus meo silentio in errorem inducatur. Alterum est de S. Gregorio Nazianzeno: cuius volumini-

(L 3) bus

bus tantopere delectatus est Damascenus, ut Jacobus Billius, diligentissimus Nazianzeni interpres, scribere vere potuerit:
 „ Damascenus certe, non contentus scri-
 „ pta sua ipsius auctoritate sæpenumero
 „ confirmare, sexcentis locis ita eum
 „ compilavit, ut bonam partem libro-
 „ rum suorum de Fide Orthodoxa ex
 „ ejus libris consuerit, totas plerum-
 „ que periodos nullis verbis immutatis
 „ in volumina sua transferens.“ Billius
 Cœnobiarcha in Prolegom. ad Opera
 Nazianzeni. Alterum est de re histori-
 ca, in qua Damasceno non tantundem
 ponderis, quantum in dogmatis & argu-
 mentis, Critici recentiores concedunt.
 Idcirco plurimi cum solertissimo Danie-
 le Papebrochio sentiunt, a quo in Re-
 sponse ad Exhibitionem errorum
 Artic. XI § 14 Damascenus appellatur
 in multis pie credulus, sicuti apparet ex iis,
 quæ supra notavimus de Trajano per S. Gre-
 gorium ab inferis liberato, aliisque bujusmo-
 di. In quem tamen censem non ve-
 nit Historia seu Vita SS. Barlaami &
 Josaphati, cuius auctor non est Joannes
 Damascenus, sed Joannes Abbas
 Montis Sinai; & ipse tamen a Joanne
 Climaco distinguendus, ut perspicacio-
 ribus quidem videtur.

865. DIADOCHUS, Photices Episco-
 S. Diado- pus: cuius extant centum Capita de
 chus. Per-

Perfectione. Hujus candorem & sanctimoniam tantum admireris, quantum vi veritatum ac terrore commovearis.

DIDYMUS ALEXANDRINUS, 866.

captus a parva ætate oculis, & ob id elemen- Didymus
torum quoque ignarus, tantum miraculum sui Alexan-
omnibus præbuit, ut Dialecticam quoque, drinus,
& Geometriam, quæ vel maxime visu indiget,
usque ad perfectum didicerit. Is plura opera
& nobilia conscripsit: quorum non paucis
commemoratis, & infinita alia, inquit
hæc scribens de magistro suo D. Hiero-
ronymus I. de Scriptorib. Ecclesiast. in
Didymo. quem etiam, præfat. in Oseam,
virum sui temporis eruditissimum nominat,
& alibi iterum atque iterum (epist. 89
ad S. Augustinum; & præfat. in Epist.
ad Galatas, ad Paulam & Eustochium)
Didymum, ait, videntem meum, cæco,
quem instar prophetæ coleret, Viden-
tis nomen eleganter imponens. Idem
S. Doctor epist. 33, quæ est ad Castru-
tum seu Castrutianum, B. Antonii Ma-
gni dictum narrat, qui cum Didymum
viseret, & an oculorum jacturam ægre
ferret, interrogasset, dolorem conli-
tenti, Miror, ait, prudentem virum ejus
rei dolere damno, quam formicæ, & muscæ,
& culices babent; & non lætari illius posse-
sione, quam Sancti soli & Apostoli merue-
runt. Sed illa in Didymo, non oculo-

(L 4) rum,

rum, sed mentis deploranda cæcitas fuit, qua in Origenis errores abripi se passus, tanta obstinatione in iisdem perseveravit, ut cum ipso Origene in Synodo V Oecumenica, & Concilio Lateranensi Actione sive Secretar. V can. 18 a S. Martino I Pont. Max. & Mart. omnibusque Patribus una voce damnatus sit. Et tot viri tanti libris nihil ad hæc tempora pervenit, nisi Commentaria quædam in Epistolas Canonicas, & liber de Spiritu Sancto, quem ipse D. Hieronymus latinitate donavit.

867.
S. Diony-
sius vulgo
Areopagi-
ta.

DIONYSIUS, cui a summo Atheniensium senatu nomen Areopagitæ adhæsit. De S. Dionysio, primo Parisiensem Episcopo, duæ sunt controversiæ, ab antiquitatis indagatoribus diu in disceptationem vocatae: prima, an hic Lutetiæ Apostolus & primus Pontifex sit Areopagita ille, de quo Acta Apostolorum narrant, Pauli auditor, ab eoque ad Christi sacra adductus: altera, an libri, qui D. Dionysio Areopagitæ ascribuntur, auctorem habeant primum illum Parisiunum Antistitem. Neminem in universa historia invenire est, qui Dionysium, primum Lutetiæ Episcopum, apostolicorum temporum æqualem faceret ante Hilduinum, seculi noni scriptorem. Imo tribus ipsis ante Hil-

Hilduinum seculis D. Gregorius Turonensis memoriae tradiderat, Dionysium illum, qui Christum Galliis intulit, Apostolorum seculo posteriorem suisse, & Decio principe demum Parisios venisse. Hilduinus tandem, qui seculo IX Abbas ad S. Dionysii fuit, Aëta illa Dionysii Areopagitæ conscripsit, quorum epitomen in sacerdotali Breviario ad diem IX Octobris legimus; eundemque in suis Areopagiticis auctorem dixit librorum, quibus hic controversia intenditur. Unde hæc tam sero denique ad Hilduinum pervenerint, ipse docet, auctoresque nominat Aristarchum quendam historicum græcum, & Lisbium seu Visbium testem rerum oculatum. Sed Aristarchum illum extra Hilduini Areopagitica nemo hominum vidi: & Lisbii seu Visbii historia usque adeo barbara est & absurdâ, ut ad fidem obtinendam idonea censeri non possit. Autoritatem S. Gregorii Turonensis non alio responso Hilduinus dignatur, quam simplicitate lapsum esse; illum, qui trecentis annis propior rebus gestis vixit. Applausit tamen Hilduno terrarum orbis, ac tota posteritas in ejus sententiam pedibus ivit. Priore tandem seculo Criticorum studia experrecta sunt, & Areopagismum hunc tam vehementer ac valide oppugnare adorta, ut jam

(L 5)

pro

pro certo prorsusque demonstrato ha-
beatur, S. Dionysium Parisinum a S.
Dionysio Areopagita distinctum esse:
quemadmodum eos distinguunt non
tantum antiqua Gallicanæ Ecclesiæ Mar-
tyrologia MSS omnia, sed jam pridem
ipsa etiam Archidiœcesis Parisiensis. Imo
jam suo tempore celeberrimus Daniel
Papebrochius in Respons. ad Exhibit.
Error. P. I Art. XI § 4 affirmavit, vix
ullum e numero eruditorum suæ ætatis
admittere, Areopagitam Parisios vidisse.
Neque de libris, Areopagitæ nomine
quondam ornatis, alias hodie perito-
rum plerorumque sensus est. Verissi-
mum profecto illud, quod de volumen
horum præstantia Romanum Breviarium
recitare nos jubet l. d. esse libros admirabili-
es ac plane cœlestes, de *Divinis Nominibus*,
de *cœlesti & ecclesiastica Hierarchia*,
de *mystica Theologia*, & alios quosdam. An-
tiquitatem vero tantam, quantam Hil-
duinus vult, nec ipse, nec aliis quis-
quam probavit. Primis quinque secu-
lis nulla usquam fit mentio de ullo li-
bro magni illius Dionysii Areopagite.
Eutychiani tandem in Colloquio Con-
stantinopolitano, quod circiter anno
christiano 532 institutum est, primi om-
nium hoc protulere, & pro suo errore
sacrilego inter alios SS. Patres etiam
Dionylium Areopagitam nominare ausi
sunt.

sunt. Ad id usque temporis nemo de
libris his verbum fecerat; non Euse-
bius, non Hieronymus in Catalogo
Scriptorum Ecclesiasticorum recensue-
rat, quos propter auctoris antiquitatem,
sanctitatem, gravitatem, inter princi-
pes collocare par erat. Ab illo tamen
initio, quod Eutychiani contra verita-
tem posuerant, deinceps orthodoxi
quoque Episcopi in quibusdam majori-
bus minoribusque Conciliis e libris illis
tanquam S. Dionysii Areopagitæ testi-
monia recitarunt. At ubi Hilduinus
Areopagitica sua disseminavit, eadem
opinio sensim ubique invaluit. Proxi-
mo autem nobis seculo argumentis fir-
missimis ita concussa est, ut eruditorum
pars maxima hæsitaret, vel aperte dis-
sentiret: & sane, nisi adhuc in sacerdo-
tum officio *Areopagismus* primi Parisio-
rum Episcopi, & librorum, de quibus
hic agitur, permittente Ecclesia legere-
tur, fortassis assecræ hujus sententiaæ du-
dum ad extremam paucitatem redacti
essent. Laudatus paulo ante Papebro-
chius in Actis Sanctorum T. I Maji, in
Appendice ad ejus mensis diem II, mo-
deste miratur optimorum quorundam
virorum pietatem, qui metuunt dubitare,
utrum Dionysius, qui scriptu divinos illos de
Hierarchia cœlesti & ecclesiastica libros, sit
Areopagita, ad S. Pauli Apostoli prædica-
tionem

zionem Athenis conversus , quamvis & Homouion ibi inveniant , & alia multa primo Christi seculo baud facile adjudicanda , in tam constanti quinque seculorum de libris istis eorumque auctoritate silentio . Multo acrius autem est judicium Claudii Fleurii , qui librorum horum Areopagismum tum aliibi s̄aþe repudiat , tum in Dissert. de Hist. Eccles. ab A. C. 600 usque 1100 hanc ipsam opinionem Orientalibus inter primaria volubilis ignorantiae argumenta objectat : „ Exemplum clarissimum , Græcos malos fuisse Criticos , est illa facilitas in recipiendis scriptis , quæ S. Dionysii esse putabantur . Hæc Justiniani ævo rejecta , elapsis exinde annis centum , tempore Monothelitarum , quibus operatio theandrica , in illo auctore explicata , quando ad versus Catholicos disputabant , pro Achille erat , iterum a nemine indu- bium revocabantur . “ Non defuisse tamen inter Græcos , qui rei falsitatem perspicerent , & argumentis efficacibus refutarent , testis certissimus est liber Theodori Presbyteri pro Codicis illius Areopagismo : contra quem has quatuor rationes opponi fatetur : I. Si Areopagita auctor est , cur non aliqui saltē Patrum seculis ei proximis mentionem aliquando intulere ? II. Cur Eusebius Pamphili , SS. Patrum libros enu-

enumerans, de isto tacuit? III. Quomodo hici auctor, si Areopagita est, res diu post Areopagitam in Ecclesia ortas referre potest? fidem sane superat, ita Theodorus loquitur, fidem sane superat, & fabula est inepte excogita, scripsisse S. Dionysium ea, quæ tanto post suam mortem futura erant. IV. Quomodo Areopagita loqui de Ignatio potest? ejus enim epistolam nominat, paulo ante scriptam, quam Imperatoris Trajanæ tempore moreretur. Evidem Theodorus non adeo caussam areopagiticam deserit, ut non aliquid responsi his quatuor argumentis regere conetur: sed ea est itabecillitas, ut Photius, qui in ipso Bibliotheca sua limine hunc librum recenset, enumeratis quatuor rationibus, Theodori responsiones ne dignas quidem putaverit, quas narraret. Nihilominus de libris his areopagiticis, et si pseudographis, nemmo sanus negaverit, esse summa veneratione dignos, & spiritu divino plenos, neque de illorum pretio quidquam decedere, etiam si scriptoris esse aliquanto posterioris existimentur.

DIONYSIUS Rickelius, ordine Carthusianus, cognomento Doctor Exstaticus. Scriptis mandavit permulta, tantæ diligentiae ac fertilitatis, quantæ

868.
Dionyſius
Carthusia-
nus.

in

in DEUM pietatis & sancti ardoris ;
 Divinarum Scripturarum Interpres ;
 Theologus , Asceta : in singulis harum
 classium nomen profiteri cum dignitate
 potuit , vel si in eo sola operam posuisse-
 set . Excellere tamen videtur Ascesis :
 quis enim cohortari ad virtutem possit
 ardentius ? quis a vitiis revocare acrius ?
 quis impios objurgare asperius , aut
 bonos sincerius laudare ? quis cupidita-
 tem vehementius frangere absterrendo ,
 aut mœrorem mitigare lenius consolan-
 do ?

869. DOROTHEUS ARCHIMAN-
 DRITA . Sermones seu Doctrinas edi-
 dit de vita recte & pie instituenda : de
 quibus dicam cum via doctissimo Bal-
 thasare Corderio , in epistola , qua hos
 ipsos Sermones Vincentio Carrafæ P. N.
 dedicat , *Institutiones Asceticæ* inscribens :
 „ Quisquis eas non cursim aut oscitan-
 „ ter , sed animo sedato , & ad earun-
 „ dem ascesin inflammato lectitarit ,
 „ quantum in iisdem ad omnem virtu-
 „ tem , ipsamque adeo religiosæ vitæ
 „ perfectionem adipiscendam subsidij
 „ situm sit , luculenter experietur . “

870. DOROTHEUS TYRIUS , non
 S. Doro- Episcopus , sed Presbyter . In extrema
 theus Ty- senectute , annos amplius centum natus ,
 rius. pro Christi nomine mortem fortissime
 obiit

obiiit seculo IV. Quem idcirco hic memorare visum est, ne decipi se quisquam sinat ab iis, qui Synopsin de Vita & Morte Apostolorum ac Discipulorum Christi huic sancto athletæ supponunt, cum tamen fabulis narrationes illæ scateant, tanto viro prorsus indignæ.

DROGO Ostiensis Episcopus: in-
ter cujus Opuscula eminet Sermo de Drogo.
Passione Domini. Salva argumenti gra-
vitate, & incolumi sua dignitate, or-
natissimus: quem enim florem, etiam
in summo illo mœrore cruciatuum &
mortis Domini, aut quod lumen elo-
quentiæ non habet?

CAPUT V.

Patres & Scriptores Eccle-
siastici ordine alphabeti,

E — H.

ELIGIUS Noviomensis Episcopus;
quondam aurifex. Præter illas XVI S. Eligius,
Homilias, quæ sub ejus nomine in Bi-
bliotheca Patrum leguntur, una ei
debetur, quæ in Appendice Tomi IX
Operum S. Augustini latet, hoc titu-
lo: *Sermo ad plebem:* quod adeo mani-
feste

feste Sirmondus noster commonstravit; ut facile omnes Patrum studiosos in eandem sententiam traxerit. Vicissim tamen fateor, homiliam octavam non esse Eligii, sed ex aliis Patribus congregatam, tum eo prioribus, tum etiam posterioribus. Occurrunt etiam in decima quinta D. Haymonis Halberstadiensis Episcopi verba, qui seculo IX annumeratur, cum Eligius septimo vixerit. Commendat ejus eloquentiam dignis verisque laudibus D. Audoenus seu Dado; Episcopus Rothomagensis, in Vita Eligii II 9, 16, & 17. quorum postremo loco ait, ministrasse illum in sacris orationibus plebi dominicæ *lætitiam olet;*
& sobriam vini ebrietatem. ea ipsa laus est, atque adeo eadem verba, quæ de S. Ambrosio Mediolanensi Doctor Hipponeensis reliquit Confess. V 13. Hoc interest, quod Ambrosius ingenio & acumine, Eligius copia & claritate vincit.

873.
Engelber-
tus Ad-
montensis.

ENGELBERTUS Admontensis; Abbas Venerabilis, tum morum sanctimonia, tum doctrinæ ubertate ac varietate: de quo cum superiorum temporum scriptores, omnes quidem cum laude, restrictius tamen & parcius quam pro tanti viri meritis prædicassent, justi elogit numeros omnes implevit sagax

gax & laboriosus scriptor Thesauri Novissimi Anecdotorum, Bernardus Pezius, Dissert. Isagogica in Tomi I Partem I § 9. Antequam ad enumerandos longa serie ejus libros accedat, hæc præfatur: „Universe de scriptis Engelberti affirmare licet, vastum quoddam ac subtile ingenium ex omnibus relucere. Propositam quæstionem nunquam deferit, nisi re funditus exhausta. Nec nodus ullus tam intricatus est, cuius dissolutionem non tentet, aut despexit, modo argumentum ejusmodi sit, cuius fines ab humano ingenio circumspici & circumscribi possint. Superstitiosus nequaquam est, rejecere solitus, quidquid cum Divinis Scripturis, aut ratione, aut factum cum magnorum virorum auctoritate non satis aperte cohæret. Stylo utitur scholastico, neque tamen, quod familiare suo seculo (seculo XIII) vitium erat, contaminatissimo.“

ENNODIUS. Multum ei ingenii, acuminis plurimum: sed populo, siquis eum imitari voluerit, non erit satis vendibilis: est enim ejus ob hoc ipsum obscurior, quia peracuta oratio, & rapida quadam celeritate difficultior.

874.
Ennodi-
us.

875.
S. E-
phræm
Syrus.

EPHRÆM SYRUS, Edessenæ ecclæsiæ Diaconus, perquam gloriose cognomine Orbis Magister. Hortator perpetuus ad pœnitentiam, jejunia, & lacrymas; ad DEI timorem; ad mortis, judicii, & inferorum memoriam. Ne quis fallatur, cum Ephræmi Opera inter Græcos Patres collocata reperit, is non græce scripsit, sed in græcum sermonem e syriaco translatus est. Dicit Gregorius Nyssenus in ejus Vita, Ephræm, inquit, notus ille revera Ecclesiæ Euphrates, cuius aquis irrigata Christianorum multitudo centuplum fidei fructum producit. Ibidemque de sancto hoc luctu salutaris ministro ait: Eundem se ubique præbuit, affidueque lugendi munus ut diuinitas expedit. Unde & nunc fere cunctos ipsius sermonum auditores ad veram amplectendam vitam revocat: tantam ipsius mixta lacrymis vim continet oratio. Singulare est, quod Sozomenus memorie prodidit Hist. Eccles. III 15 de Ephræm Syro: „Hic disciplina monastica vitam initio, tuens, cum neque a quoquam didicisti, set, neque expectaret se talem evanescerum, derepente in linguae syriacæ peritia tantum profecit, ut non solum facilitate, ac splendore orationis, sed etiam sententiarum crebritate atque sapientia græcos scriptores facile præstantissimos superaverit.“

„rit. “ Quis jam miretur, Oratorem hunc *Theodidac̄ion* infusa divinitus eloquentia principatum omnibus longe præripuisse? *Ephræm*, *vir sane admirabilis*, & *scriptor inter Syros facile excellentissimus*, inquit *Theodoreetus Histor. Eccl. II 30.*

EPIPHANIUS, Constantiæ seu Salaminæ in Cypro Episcopus, dictus pentaglottos, seu quinque linguarum peritus: admodum enim intelligebant veteres, quantum momenti habeat in re ecclesiastica linguarum primævarum cognitio. Magnis eum laudibus cumulante ipsi Patres antiqui, Hieronymus, Augustinus, Theodoreetus. Præcipua ejus opera sunt *Panarium* seu de LXXX Hæresibus, & *Ancoratus*. E Panario tela validissima contra hostes veritatis orthodoxæ omnibus seculis deprompta sunt, quod tantæ vetustatis & auctoritatis Patrem etiam falsitatis magistri suspicere ac venerari cogerentur. Libellum de Vita Prophetarum, qui olim Epiphanil putabatur, eruditii nunc una voce rejiciunt. Orationes, Epiphanius dictæ, vel sunt omnino adespota, ut loquuntur Critici, hoc est, nullius domini auctorisque cogniti; vel alterius ex aliis duobus Epiphaniis, qui & ipsi Pontificatu in Cypro functi sunt.

(M 2)

ESA-

276.
S. Epiphanius.

877. **ESAIAS ABBAS;** non *Isaias*: omnes enim antiquitatis periti, & Græciæ gnari, *Esaiam* scribunt, a secunda vocali, non a tertia, vocabulum inchoantes. Orationes ejus supersunt undetriginta ad Monachos, quibus eos ad eximiam morum perfectionem adducit. De genere dicendi si quæras, non tam Esaias est, quam Jeremias: neque enim splendidissimam illam & plane regiam Esaiæ eloquentiam sectatur; sed Jeremiæ austoritatem, ejusdemque insignem affectum, plerumque tamen tristiorum, ita ut in Oratione ultima cum Jeremias in lugubres Lamentationes desinat:

878.
Evagrii
duo.

EVAGRII duo; alter **PONTICUS**; alter **patria Syrus**, a scientiæ claritate ac fama **SCHOLASTICUS** appellatus. Ponticus, præter libellum de VIII vitiosis cogitationibus, *Apophthegmata Anachoretarum conscripsit*, optimarum gemmarum custos malus: Origenis enim erroribus tenebatur. Sed Apophthegmata ab eo collecta, si utilitatem spectamus, nihilo inferiora sunt, imo superiora plerumque, illis Regum & Philosophorum sententiis, quas ad posterorum memoriam Plutarchus reliquit. Evagrius autem Scholasticus, sub Tiberio Constantino Quæstor, sub Mauricio inter Tabularii curatores fuit, quos

quos hodie *Archivariorum* dicimus. Post Eusebium, Socratem, Sozomenum, ac Theodoretum, Historiæ Ecclesiasticae partem literis complexus est. Puro ac dilucido scribendi genere, quale ab Historico poscitur, eloquentiae suæ partes implevit. Officiorum dignitas, quibus præfuit, non parum adjumenti attulit, ut pleniorem sibi rerum gestarum notitiam compararet.

EUCHERIUS Archiepiscopus Lugdunensis. Epistolam seu Parænesin, ut a quibusdam nuncupatur, ad Valerianum cognatum scripsit de contemptu rerum præsentium & vanæ philosophiæ; epistolam de laude solitudinis ad Hilarium Arelatensem postea Episcopum; Formulas Spiritualis Intelligentiæ ad Veranum filium; & ad filium suum alterum, Salonium, libros duos Instructionum. At Historia D. Mauritii & Legionis Thebææ est alterius Eucherii junioris, qui & ipse Lugdunenses Archiepiscopus rexit. Neutrius autem sunt Commentarii in Genesim & libros Regum, quippe auctoris Angli, non Galli, ut plura vestigia indicant. D. Hilarius Arelatenfis, in epistola ad ipsum Eucherium, sic eum affatur: *Emisi itaque florulenta beatitudinis tuæ opera.* Claudio Mamertus seu Mamercus de

879.
S. Euche-
rius-

(M 3) Statu

Statu Animæ H̄ 9 ita de Eucherio: *In-*
genii subtilissimus, scientiæ plenus, eloquii
profundus, magnorum seculi sui Pontificum
longe maximus. Salvianus Massiliensis,
acerrimi vir judicij epist. 8 sic ad eum
scribit: Legi libros, quos transmisisti, sty-
lo breves, doctrina uberes, lectione expedi-
tos, instructione perfectos, menti tuæ ac
pictati pares. In epistola ad Valerianum,
quæ primas partes obtinet, reconditas
exquisitasque sententias vestit mollis &
pellucens oratio. Nihil tam tenerum,
quam illius comprehensio verborum,
nihil tam flexibile, nihil quod magis
auctoris arbitrio profundat. Nihil finge-
re possis liquidius, nihil uspiam adhæ-
rescit. Multa translata, sic tamen, ut
ea non irruisse in alienum locum, sed
immigrasse in suum diceres.

890. EUSEBIUS CÆSAREENSIS, seu
 Eusebius Pamphili, ab amicissimo Pam-
 philo Martyre cognomentum traxit.
 Arianus acerrimus, vir tamen erudi-
 tionis copiosissimæ, & mire laboriosus,
 Operum ejus pars maxima temporum
 ruinis involuta est. Nihil pro religio-
 ne christiana contra profanorum deos
 utilius edidit libris de Præparatione ac
 Demonstratione Evangelica; nihil eru-
 ditius Chronico, quod ipse Hierony-
 mus latine vertendum sibi existimavit.
 Historia

Historia ejus Ecclesiastica omnium est antiquissima, a Christo exordium ducens, & ad exitum usque Lieinii actius Ecclesiarum pacem continuata. Expositio Canticorum Salomonis floribus contextitur, non in Eusebii horto natis, sed ex areolis aliorum, qui Eusebio posteriores solum hoc coluerunt. Si quæras, an, ut auctor ipse Arianus fuit, ita & libri ejus superstites ejusdem sectæ virus in se contineant: non una est responsio omnium, faventibus nonnullis, & Eusebium quomodounque excusantibus. Enimvero in diversis ejus operibus testimonia leguntur Christo DEO perhorifica, & quæ cum Ario pugnare non obscure videantur; nominatim in volumine contra Marcellum, quod huic quæstioni maxime proprium & veluti decretorium est. Sed in eodem opere, aliisque pluribus, etiam in Demonstratione Evangelica, ea dicit, quæ cum Divinitate Verbi nequaquam consentiunt, & ubique vafro silentio ea supprimit, quæ Arianis plagam infligebant, aut cladem intulerant. Potissimum vero ejus caussam affligit epistola ad Euphrationem Episcopum; tametsi enim in Concilio Nicæno orthodoxum *Homousion* recepit, qua tamen mente id fecerit, abunde hac epistola prodit, in qua rotunde & sine ulla circuitione

(M 4) pro-

profitetur, Christum verum DEUM non esse. Nimirum qualis in vita, talis in libris Eusebius fuit, calliditate fraudulenta involvens omnia, & vulpinandi arte infamiam magis, quam ingenii gloriam meritus.

881.
Eusebius
vulgo E-
missenus.

EUSEBIUS, vulgo **EMISSENUS**, seu Emesenus, doctos etiam viros sepe in errorem induxit, ut elegantissimas Homilias, quae sub hoc nomine celebrantur, cautissime usurpandas dicerent; & eodem loco haberi, quo Tertulliani & Origenis opera, quippe heterodoxi auctoris partum juberent. Falsissimæ huic opinioni ansam deditæ reor, quod Eusebius Emesenus, homo Arianus, inter alia homilias breves edidit, quarum & mentionem, & nonnunquam fragmen-
ta quoque apud veteres reperimus. Alii Emesenum hunc non Arianum, sed Sabelliani erroris accusant. At alii pro-
brum hoc inficiantur, Arianorum ca-
lumniam suspicantes, de quibus con-
stat, viros magnos sibi contrarios inu-
sta Sabellii macula infamare consueuisse.
Utut est, non me Emesenus ille con-
turbat, cuius orationes vetustas hau-
sit: earum auctor, quae in manu nostra
sunt, per gravem injuriā de haeresi
postulatur. Age Lector benevolc, li-
brum hujus Operis octavum revolve, &

N. 703 Eusebii locum repete, quo
hom. i de Natali Domini verba Esaiæ
expendit: *Parvulus natus est nobis, filius
datus est nobis, & factus est principatus
super bumerum ejus. Hoc loco propheticus
sermo DEI & Hominis invenitur expres-
sisse personam: utrumque enim fides catbo-
lica & credit, & prædicat. Nam si ho-
minem tantum dixeris Christum, negas
potentiam, qua recreatus es. Si DE-
UM tantum dixeris Christum, negas mi-
sericordiam, qua sanatus es. Hæcne sunt
vel Ariani, vel Sabelliani dicta? hæc-
ne sensa viri, Divinitatem Christo eri-
pientis? Orthodoxæ fidei desertor est,
a quo fides catholica prædicatur? Nonne
audis, simul DEI & Hominis personam
in Christo confociari? nonne vides,
utrumque credendum ab auctore propo-
ni? nonne creantis potentiam negari
ab illo ait, qui hominem tantum dicere
Christum ausit? Porro quam innocens
& rematus est ab Ario & Sabellio, tam
procul idem a Græcia abest, scri-
ptor usquequaque latinus, a græco au-
tem stylo & orationis totius modo tam
abhorrens, quam Syria a Latio dister-
minatur. Græce scientibus id clarus
est, quam ut argumentis disputari lie-
beat; Homiliæ ipsæ clamant, Græcianquo
sibi patriam affingi non patiuntur. Unum
veluti exemplum afferam, etiam illis*

(MS)

per-

perspicuum, qui in Græcia domicilium
 non collocarunt. Hom. in Domin.
 IV Quadrag. Eusebius hic *pseudeme/enus*
 illud Evangelistæ considerat, *Colligite*,
quæ superaverunt fragmenta, ne pereant;
 aitque: „Non sunt panes nisi quinque,
 „manducantes autem plus millibus quin-
 „que. Illi manducant, panes crescent,
 „Certamen fit inter panes & homines:
 „vincunt panes, superantur homines.“
 Antonio Vieiræ ita hic locus arrisit, ut
 eum orat. in eandem Dom. IV Quadr.
 ad Americanos verba faciens a novita-
 te & sublimitate plurimum commenda-
 ret. Lusus hujus novitas ambiguitate
 nititur verbi *superaverunt*, quod cum
 apud Latinos & superesse significet, &
 vincere; in Evangelio usurpatur sensu
 priore, in Homilia ad alterum accom-
 modatur. In fonte autem græco D.
 Joannes Apostolus verbo *perissevo* usus
 est, quod citra ullam ambiguitatem de-
 terminat & figit sensum, ut nihil de
 victoria cogitari possit: *perissevo* enim
 Græcis nihil est aliud, quam superessa
 seu reliquum esse. Quæro jam: an
 Eusebio, si Græcus fuisset, venire in
 mentem aliquid de illa panis victoria
 potuisset? latinæ sunt hæ argutiæ: *su-*
peraverunt fragmenta, id est, *superfue-*
reunt; *superaverunt rursum*, id est, vi-
 cerunt hominum turbam. Si legisset

solum

solum superfuerunt, remanserunt, residua
fuerunt fragmenta, ut legunt Græci:
nihil erat, unde vel pugnam cum ho-
minibus panes capeſſerent, vel victo-
riam ſibi pollicerentur. Vel ſolum igi-
tur hoc vocabulum evidenter nos do-
cet, Eusebium Latinum fuſſe, non
Græcum, ac proinde neq; Emissenum.
Ceterum non nego, ex his Homiliis ali-
quas ad Cæſarium Arelatensem, alias
ad Faustum Regiensem seu Rejensem,
multas ad Brunonem Astensem, nec
pauciores ad alterutrum Eucherium Lug-
dunensem trahi. Ne hoc venustissimum
Homiliarum corpus veluti membratim
dissicare opus fit, ſinamus illud, do-
ctissimorum virorum exemplo, ſub Eu-
ſebii Gallicani nomine totum conque-
ſcere. Mihi certe hic a minuto ſingu-
larum Homiliarum examine abſtinere
tanto magis licet, quod neque operæ
preſtium in hoc meo instituto facturus
mihi videor, neque in Libri hujus curſu
tamdiu morari Lectorem ob res minime
certas velim. Cognomen Gallicani tum
alia quædam huic auctori afferunt, tum
illa, quæ de Lugduno urbe, de S. Blan-
dina, de SS. Epiphodio & Alexandro
MM. Lugdunensibus, ac de S. Genesio
Arelatensi habet. Stylus universe in
his Homiliis exultans & floridus, anti-
thetis plurimis variatus, brevi compre-
henſus.

hensione verborum plura meditationi relinquens, quam evolvens, & usque- quaque latino more comptus, qui græ- cam consuetudinem ex nulla parte re- doleat.

EUTHYMIUS Zigabenus, Mona- chus græcus, athleta validus contra omnes sectas in sua Orthodoxæ Fidei Panoplia; in Psalmos autem & quatuor Evangelia interpres diligens. Vestigiis Divi Chrysostomi, ubicunque potest, gaudet inlistere: ab ejus tamen fusa & elaborata elocutione tantum distat, quantum epitome a volumine.

FAUSTUS Regiensis seu Rejensis in Provincia Galliae Episcopus. Præter alia utilissima, de Pœnitentia episto- lam scripsit insignem. De Homiliis dixi modo in Eusebio Gallicano: unde stylum ejus satis agnoscas. Sancti hujus Episcopi doctrina tum a quibusdam ve- teribus, tum a Theologis & Criticis posteriorum temporum, vehementer exagitata est, & in erroris non unius suspicionem vocata. Complanat diffi- cultates omnes, & causam Divi solide ac docte agit Joannes noster Stiltingus, optime de Fausto meritus, in Actis Sanctorum Bollandinis, Tomo VII Septembr. ad ejus mensis diem XXVIII, in Commentario Historico § 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, & 13.

FICI-

FICINUS. Ingentem librorum copiam profudit Marsilius Ficinus, patria Florentinus, Platonii unice deditus, cuius uti famam & libros a se latine versos late vulgavit, ita spiritum & stylum hausit. Ut nihil dicam de philosophicis, in sacris quoque suis lucubrationibus sapientiam & lenitatem sensu, sublime ac poeticum scribendi genus verbis sectatus est, ut Platonis imitatori conveniebat. Qui Commentarios ejus in Paulinas Epistolas laudarunt, fortassis ultra titulum legendo progressi non sunt; solam enim ad Romanos pertractat.

FRANCISCUS, a patria Assisas, ab ardentissimo & humanum modum excedente DEI amore Seraphicus appellatus. Præter sanctissimam Ordinis sui Regulam, Epistolas & alia quædam Opuscula veluti thesaurum nobis transmisit: quæ sanctitatem, & rerum preuentium contemptum, ubique ita spirant, ut insculptum omnibus literis videatur Paulinum illud: *Mibi mundus crucifixus est, & ego mundo.* De Epistola ad Sacerdotes Seraphicæ suæ familie, cuius initium est, *In nomine Sanctæ Trinitatis & summae unitatis,* Joannes Eckius in Enchiridio notavit, eam ab ipso Seraphico Minorum Ordine ut veram Parentis sui Francisci epistolam non agnoscere:

884.
Ficinus.

885.
S. Franci-
scus Assi-
sas.

sci: & in ea contra heterodoxos defendenda hæsitat Bellarminus Controv. Volum. II, de Missa II 10, ad Object. 12. Facilis tamen & expedita est animadversio, quæ huic epistolæ subjicitur in Bibliotheca Patrum Coloniensi, Tom. XIII p. 351: „Forsan Aucto^r, solum innuere voluit, ordinarie, & „nisi necessitas ingruat, unam tantum „Missam solennem, quam vocant ma- „jorem, & conventualem, in uno lo- „co celebrandam.“

886.
Franco
Affligen-
iensis.

FRANCO, Affligeniensis Abbas. Nihil ab eo melius scriptum libris XII de Gratia seu Beneficentia DEI. Felix materia, non tantum ubertate rerum & sylva dicendi, sed affectuum etiam occasione, maxime popularium, & naturæ humanæ convenientium. Respondit materiae Franco, & rationem scribendi eam secutus est, quæ & beneficia DEI claritate & amplificatione insigni in pleno lumine collocaret, & motus animorum aperta quadam & naturali facundia efficeret.

887.
Fulbertus.

FULBERTUS, Carnotensis Episcopus, utriusque eloquentiæ, solutæ ac ligatæ, laude clarissimus; sua nimis rotundos pariebat, ita latinitatem tuberosam

tosam & hispidam nequaquam aspernabatur. Sed separanda est nobis interior eloquentia a cultu exteriore, & sapientia a pompa verborum: & inveniemus, dignum ea eloquentiae fama extitisse Fulbertum, quam suis temporibus maximam consecutus est.

FULGENTIUS Rusensis in Africa Episcopus, ævi sui Antifitum lingua & ingenium fuit, uti non magniscentius, quam verius, de illo prædicat antiquitatis sacræ æstimator æquissimus, Jacobus noster Sirmondus, Operum Vol. IV in epist. ad Cardinal. Perronium, edit. Venetæ 1728 pag. 442: Eloquentiæ effigiem exprimit idem Sirmondus præf. in S. Fulgentii Excerpta contra Fabianum, ejusd. Vol. & editionis p. 445 laudem ei assignans suavissimi & facundissimi scriptoris. Ejus est præclarus liber de Fide ad Petrum Diaconum, cui olim D. Augustini nomen præfigi solebat.

GAUDENTIUS Brixiensis Episcopus in suis orationibus seu Tractatibus tanto plus præstitit, quanto magis ipse sibi diffisus est. Nam serm. in sua Ordinat. dixerat vir modestus & sanctus: *Melius enim primum, ne vis verborum celestium exiguitatis meæ sermone tenuetur.* Sed virtutis hic timor, non infirmitas.

888.
S. Fulgen-
tius.

889.
S. Gau-
dentius.

tis fuit: tanta enim in eo ingenii lux cum nitore elegantiaque verborum, ut vel inter disertissimos consistere cum gloria possit.

890.
Germani
duo.

GERMANI duo, ambo PCC. Divus Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, fortissimus ille pro cultu sacrarum imaginum pugil, plus ponderis, quam florum, eloquentiae suæ inesse voluit. Certæ ejus orationes hæ tantum sunt: de S. Cruce; in Jejuniorum Dominicam; & in Christi Sepulturam. De Opusculis ceteris non liquet, sintne magni hujus Germani, an alterius, ejusdem nominis: duo enim Germani in sede CP. eidem successere. Præser-tim dubia sunt Theoria rerum ecclesiasticarum, & Encomion in Præsentationem, Nativitatem, ac Dormitionem B. V. M.

891.
Gerson.

GERSON. Vero nomine Joannes Charlierius, a vico Gerson, in quo natus est, cognomen invenit: situs is est in diœcesi Rhemensi Campaniae gallica. Cancellarius fuit Parisiensis, & Conclilio Constantiensi cum Episcopis & Doctribus Gallis interfuit, & quidem primarius Theologus ætatis suæ, ut annotat scriptor perdoctus, non Gallus natione, sed Italus, Julius Nigrinus, Tract. Ascet. VIII c. 3 n. 13. Libros ejus Theologicos & Hierarchicos, qui non sunt

sunt hujus loci, prætero. Carmina, inter quæ haud dubie familiam ducunt Josephina, pietatis multo plus, quam ingenii; ipsius tamen ingenii multo plus, quam numeri & dictionis poeticae produnt. Moralia & Sermones ossa & nervos habent, ut videas virum doctum, in rebus adversis constantem & fortem, DEO fidelem, & ubique res verbis potiores ducentem. In Consolatione Theologiae, tametsi nihil illa est ad Boethii Consolationem Philosophiae, utique in Metris, videas tamen auctoris totam imaginem; quantum fecerit, quantum tulerit, quam sincero & erecto animo in fortuna utraque fuerit. Meditationes in Psalmos Pœnitentiales non sunt Gersonis, sed Petri Cardinalis de Alliaco, qui ejus magister fuit. Alphabetum Divini Amoris & liber de Imitatione Christi, pluraque non sua ad Gersonem Cancellarium quondam delata sunt, sive quod argumenti similitudo inter tot ejus libellos turbam falleret, sive quod fingere gauderent non nulli, qui hederam vino quærebant.

GILBERTUS seu GILLIBERTUS ^{892.}
Abbas Swinshetensis in agro Lincolnensi
Angliae: de cuius in Cantica Sermonibus dictum supra est in Bernardo N. 848.



893.

Goffridus
Vindoci-
nensis.

GOFFRIDUS Abbas Vindocinensis, Cardinalis S. Priscæ. Incredibile dictu est, quot quantosque labores christianæ reipublicæ caussa vir hic indefessus adierit, & ferrea constantia exantlarit. Omnino duodecies e Gallia in Italiam proficisciens Alpes transit, ut Apostolicæ Sedi obsequio suo auxilioque succurreret, a cuius inimicis ter captus est. Illud vero mirandum, Antistitem tot rebus gestis ætate sua clarissimum, Urbano II & Callisto item II Romanis Pontificibus intima necessitudine conjunctissimum, apud Ludovicum VI Regem Galliæ gratiosum, per tot a sua morte secula tantopere latere potuisse, ut nec vitæ ejus historia ab illorum temporum historicis, nec scripta, quæ bene multa sunt, a quoquam ante prolata sint, quam Franciscus Torrensis seu Turrianus primo scintillam quandam emitteret, dein Jacobus Simondus lucidissimam facem accenderet. Præter Divinos Libros, maxima Goffrido Juris Ecclesiastici cognitio; proprium vero decus, vividus & acer inscribendo vigor, & mascula libertas in bona caussa strenue defendenda.

894.

S. Grego-
rius M.
sanctus, Turonensis in Histor. Franco-
rum

GREGORIUS MAGNUS Pont.

rum X i : Literis grammaticis, dialecticis-
que, ac rhetoricis ita erat institutus, ut nullus
in Urbe ipsa putaretur esse secundus. Hu-
go Victorinus Operum Vol. III, Eru-
ditionis Didascalicæ V 7 ait: Beatissimi
Gregorii singulariter scripta amplexanda exi-
stimo: quæ quia mihi præ ceteris dulcia, &
æternæ uitæ amore plera visa sunt, nolo
silentio præterire. Dulcedinis hunc prin-
cipatum, quem Victorinus in Magno
Gregorio agnoscit, eo pertinere arbit-
rator, ut nullus fortasse Patrum sit, qui
tantam personæ & orationis majesta-
tem cum modo agendi ac persuadendi
tam blando conjunxerit. Honorius Au-
gustodunensis I. de Scriptorib. Eccle-
siast. Gregorius, inquit, Romanæ Urbis
Episcopus, organum Sancti Spiritus, incom-
parabilis omnibus suis prædecessoribus, multa
præ sole præclara, ac præ obryzo auro pre-
iosa scripsit largo eloquentiæ
fonte. Joannes quoque Palacius, cum
summis viris eum comparans, in Gestis
Pontificum Roman. Vol. I Elog. 65 ita
scripsit:

*Antonius, Cyprianus, Augustinus,
Gregorium vincunt*

*Aetate, non Sanctitate, Sapientia, &
Eloquentia.*

Ad dicendum natus,

(N 2)

Ad-

*Addidit artem naturæ : unde lis elo-
quens fuit.*

Operum ejus præstantissimum sunt Li-
bri XXXV Moralium in Jobum, quos
S. Odo Cluniacensis Abbas in epि omen
redegit; opus admirabile, & summo in-
genio scriptum, quod uno ac perpetuo
Tropologiæ filo a summo ad imum per-
texitur, nunquam a primo proposito nec
latum unguem discedens. Viro ecclæ-
siastico, ad vineam Domini colendam
vocato, nihil utilius Pastorali, aureis
monitis & præceptionibus referto. In
Dialogorum Libris eventus miros quam
plurimos narrat, moribus valde ido-
neos: in quibus qui fallere Gregorium
suspicantur, sanctitati; qui falli, pru-
dentiæ tanti viri injuriam faciunt; in-
caute cauti censores, & exiguo judicio
critici, qui non cogitant, quali & viro,
& antistiti, & scriptori diffidant. Ubi-
que Gregorii stylus is est, ut, et si mi-
nime abruptus & præceps sit, sed
orbem quendam suum & ambitum ora-
tionis habeat, adeo densum tamen &
confertum ex omni parte reperias, ut
idem de illo asseverare possis, quod M.
T. Cicero l. II de Orat. de Thucydide,
principe Historicorum Græciæ: *Ita cre-
ber est rerum frequentia, ut verborum pro-
pe numerum, sententiarum numero consequa-
tur;*

tur; ita porro verbis aptus & pressus, ut
nescias, utrum res oratione, an verba sen-
tentiis illustrentur. Observationem addo
Caroli Regii, magistri sapientis, qui
Oratoris sui Christiani III 20 sic de Gre-
gorio M. loquitur: „cujus doctrina est
„gravibus sententiis referta, ad mores
„hominum valde accommodata, sty-
„lus ecclesiasticus, atque optime mo-
„ratus, redolens eximiam omnium vir-
„tutum sanctitatem, etiamsi usus alle-
„goriarum, quas frequens tractat.....
„non sit tam utilis in concionibus po-
„puaribus, sicut est in scriptione, si
„crebro fiat.“

GREGORIUS NAZIANZENUS. 895.

Cyrus Nicetas in Argum. Sententia-
rum Naz. ait: „Gregorius hic, nostro-
rum Theologorum excellentissimus,
atque in divinis rebus explanandis
exercitatissimus, cum omnem ab ex-
traneis philosophis, ac poetis, &
oratoribus utilitatem, quantum sat
esset, decerpisset, ut qui in omni-
bus eorum artibus ac disciplinis feli-
cissime versatus esset; cumque omnem
sermonis vim, omneque ingenii hu-
mani fastigium ad summum usque ex-
coluisse; cet. Gregorius etiam Pres-
byter in Vita Nazianzeni testatur, non
Cæsareæ tantum in patria sua Cappado-

(N 3) cia,

cia, sed in Palæstina quoque, Alexandriæ in Aegypto, & Athenis, eloquentiam & scientias sibi comparasse; ubique præstissimum & a condiscipulis, & ab ipsis præceptoribus existimatum; præsto illi fuisse & historiæ copiam, & omne genus philosophiæ, medicinam quoque, geometriam, & astrorum intelligentiam, nequa ex parte animum rudem & imparatum afferret; denique etiam, ut Atheniensium juventuti gratum faceret, majorem in modum id a se petenti, aliquamdiu Athenis publice Rheticam explanasse. Quantus vir ille fuerit, vel ex eo solo metiare, quod Philostorgius Arianus in maledica sua Historia Ecclesiastica, in qua ubique Orthodoxos mordet ac lacerat, ipsumque Basiliū Magnum contemnere audet, Nazianzenum tamen etiam invitus prædicat. Ita testis optimus (nec enim nobis Philostorgii chartæ supersunt) Photius PC. in Myriobiblio Cod. 40. Liber ad Evagrium Monachum de Divinitate non est Gregorii Theologi. Significatio in Ezechielem, dubia: Metaphrasis in Ecclesiasten absque ulla dubitatione alterius est Gregorii, qui a prodigiorum copia & magnitudine Thaumaturgi nomen adeptus est. Si apud Suidam legeris Vocab. Gregorius, Nazianzenum scripsisse XXXM ver-

versuum : noli hoc de carminibus interpretari, quæ et si scripsit plurima, si tamen numeres, ne ad tredecim quidem millia versuum pervenies. Sed eodem sensu accipiendus est Suidas, quo D. Hieronymus l. de Scriptor. Eccles. ita de Nazianzeno loquens: „Vir elo-
„quentissimus, præceptor meus, quo
„Scripturas explanante didici, ad tri-
„ginta millia versuum omnia opera sua
„composuit, e quibus illa sunt: De
„morte fratris Cæsarii : *peri philoptochias*
„(de amore paupertatis) : laudes Ma-
„chabæorum ; laudes Cypriani. “ Quæ
ipsa quatuor opuscula non pedibus vin-
cta, sed libera & soluta oratione scripta
sunt. *Versus* igitur, tam apud Suidam,
quam Hieronymum, latine prorsus in-
telligendi sunt, de spatio chartæ, quo
absoluto stylus vertitur, quod vulgus
latinum hodie *lineas* vocat: ut summa
tota omnium, quæ prosa metroque Na-
zianzenus edidit, sit versuum circiter
tricies mille (*bey 30000 Zeilen.*) Car-
minibus ejus perperam annumeratur
Christus Patiens Tragœdia, quod jam
pridem perspexere Cardinales doctissimi,
Baronius ad A. C. 34 n. 133, Bellarmi-
nus l. de Scriptor. Eccles. in Observ.
ad Opera Gregorii Theologi, & Bona
in Notit. Auctorum post Vol. de Div.
Psalmod. Quibus adde Theophilum Ray-

(N 4) nau-

nandum, Operum T. VII, Observ. 2
ad Nomenclatorem Marianum; & T.
XI, l. e Confix. Librorum, P. I ero-
tem. 10 § 222. Plures auctorem hujus
Tragœdiæ suspicuntur Apollinarem: fed
recte Purpuratus Bona l. d. ne hujus
quidem ingenio, nedum Gregorii, di-
gnam pronunciavit. De excellenti ejus
eloquentia constat inter omnes, adeo,
ut Joannes Paulus Oliva, in SS. Patri-
bus legendis exercitatissimus, in XL
Orationib conc. ad Dom. XVIII post
Pentec. de Nazianzeno dixerit: *Emi-
nentissimus Orator.* Jacobus Billius, in-
terpres Gregorii, qui proin maxime
compertum eum & exploratum habuit,
in præfatione sua græca ad ejusdem
Opera, palmam ait aliis omnibus præ-
ripuisse gravitate orationis, sublimitate,
vi, atque ipsa etiam numerorum venu-
state. Gilbertus Genebrardus & Joan-
nes Chatardus in epistola, qua Grego-
rio XIII Pont. Rom. communis nomine
Opera S. Patris dedicant, ita inquiunt:
*Peculiaris quædam pbralis, & quidem Po-
lemonica Heronymo, Isocratica Suidæ, di-
sertissima omnibus græce scientibus, inprimis-
que erudita Rationem hujus styli edit
sagax conjector, Carolus Regius, Ora-
toris Christiani IV 8: „Propria fuit
„causa Nazianzeno in poeticum stylum
„assurgendi, ut Juliani Apostatae co-
nat-*

„natibus contrairet. Quanquam illa
 „Nazianzeni, in soluta quoque oratio-
 „ne, poetica vis adeo abest a levitate,
 „tantam & majestatem & sanctitatem
 „præsefert, ut non poeticum tumo-
 „rem, sed ardorem propheticum, &
 „afflatum plane divinum spiret.“ Ne-
 mo est e Patrum choro, qui de Sacra
 Eloquentiæ principatu contendere cum
 Nazianzeno possit, præter D. Joannem
 Chrysostomum: qui profluente, per-
 spicuo, flexanimo, & urgente dicendi
 genere manifeste vincit: sed & vicissim,
 ut cum Renato Rapino viro eximio lo-
 quar, ornatum aliis majorem, plusque baud
 dubie artificii Gregorius Nazianzenus affert.
 Rap. de Literis Amœniorib. Vol. II l. I
 animadv. 11 in Eloquentiam Sacram.

GREGORIUS NYSSENUS, ex 896.

Rhetoricæ Professore Episcopus: sic S. Grego-
 enim eum Nazianzenus epist. 43 loquen-
 tem introducit: Ita Rhetor eram, ut rius Nyssen-
 Christianum me meminisse. Suidas
 in Gregorio Nysseno ait: „Gregorius
 Nyssenus Episcopus, Basilii Cæsareen-
 sis frater, vir & ipse clarissimus, om-
 nique doctrinæ genere plenus, magis
 tamen eloquentiæ studiosus. Et sane
 ea spectatus & illustris fuit, si quis alias
 veterum.“ Vita S. Macrinæ sororis,
 de SS. Trinitate, & Spiritus S. Divini-
 (N 5) tate,

tate, de Differentia substantiæ & hypostasis, non sunt Nysseni, sed fratris Basili Magni. Oratio de Pœnitentia, & in Jejuniorum initium, S. Asterio Amaseno debentur. Oratio de adeuntibus Hierosolymam, litigiorum inter Criticos ingentium scaturigo, non est hujus loci: tantum dico, nequaquam posse ideo rejici, quasi veritati catholicæ aliquid ex ea detrimenti sit metuendum. In stylo Nysseni multum artis est, plus majestatis.

897. GREGORIUS THAUMATUR. S. Gregorius Thaumaturgus, seu prodigiorum patrator, Episcopus Neocæsareensis. Ejus certum nihil est, nisi Panegyricus in Origenem, Epistola de illis, qui idolothyta comedebant, & Metaphrasis in Ecclesiasten, filo orationis simplici & naturali.

898. GREGORIUS TURONENSIS. S. Gregorius Turonensis. Inter summos sui seculi viros merito numeratus, ob singularem prudentiam summis etiam Principibus eorumque administris in pretio fuit. Talem scriptorem in historia tam credulum fuisse, quam audaces quidam Critici videri volunt, an satis verisimile est? Quantum ejus narrationibus tribui possit, & an Miracula, quæ scripsit, sapientis lectoris tide digna non sint, hæc ostendent, quæ propter hoc ipsum e Turonensi colle-

collecta subjicio. D^r Gloria Martyrum
I 5 de se ipse confitetur, nouisse pri-
mum se credere prodigium illud ipsum,
q^od eo loco narrat. Juxta stultiam,
inquit, mentis duræ nunquam ad hæc cre-
denda movebar, donec brutam segnitiem ipsa
ad præsens, quæ ostensa est, virtus argueret:
ideoque, quæ oculis propriis viderim, expli-
cabo. Rursus, quam incredulo se ani-
mo diu famæ opposuerit, in alio even-
tu his verbis significat: quod cum apud
rusticatem nostram incredibile haberetur.
Miracul. de Gloria MM. I 6. Vel ex
his solis Chalcephali ætatis nostræ, qui
fortium ingeniorum nomine prædicari
se cupiunt, meditandi materiam habent:
cum enim ipsi multa credant, quæ ocu-
lis non subjecere, cur ea narrantem
Gregorium aspernantur, quæ oculis pro-
priis vidit? Videntne, quam non cre-
dulus fuerit? Nihilne apud se cogitant,
cum istam nihil credendi rusticatem, &
hanc re non discussa explodendi quid-
libet brutam segnitiem, ac illam a prin-
cipio stultiam mentis duræ legunt? non
sibi in his Gregorii verbis audire viden-
tur illa Christi, O stulti, & tardi cordæ
ad credendum? Libro de Gloria Con-
fessorum in ipsa præfatione inquit:
Oculi non patior, quæ d^r Beatorum virtu-
tibus vel ipse s^pecies inspexi, vel per relatio-
nem bonorum virorum & certæ iudei eviden-

ter gesta cognovi. Ejusdem libri c. 1 ait: *Vir mibi fidelis retulit, & scio quia vera narravit, quia evidenter cognovi gesta suisse quæ dixit.* Simile est illud c. 6 de perpetuis D. Martini Episcopi beneficiis, totius naturæ creatæ vim superantibus: *Ab-surdum duximus, si ea, quæ evidenter ab eo prius gesta cognovimus, sileamus.* Quia si quis est adhuc infidelis, & æmulus, ut hæc non credat, accedat ad basilicam, & videbit quotidie & nova agi, & quæ facta dudum fuerant, iterari. Mox ibidem addit, ea se scribere, quæ nobis evidenter sint comperta. Eritne porro, cui hoc jam quarto repetitum evidenter non satisfaciat? si quis erit, videat, ne, si virum sanctum, neque sanctum duntaxat, sed gravissimis regnorum negotiis & regiæ artibus exercitum, evidenter sibi comperta scribentem, dignari pergit, id non tam solidi ingenii, quam stolidi fuerit. Pompæ studiosum non suisse Turonensem, profecto latinitas ipsa declarat, quam jacere non dissimulat auctor, imo saepius modestissime præ se fert, & inter alia in præfat. ad Mirac. Confess. candidate admonet: *quia sum sine literis rhetoriciis, & arte grammatica.*

899. GUERRICUS seu Guarricus, D.
B. Guerri- Bernardi Claravallensis discipulus, ejus-
cus. demque tum sanctimoniae, tum styli,
solli-

sollicitus imitator. Jam Abbas Igniacensis Sermones composuit tam elegantes, tam aptos dulcissimis motibus animorum, ut vere prorsus scripserit auctor libri de Viris Illustribus Ordinis Cisterciensis, Distinct. III c. 7: *Afficit & accendit legentem, ut durissimus corde sit, qui non ex eorum lectione compunditus ad meliora proficere studeat.* Ad suavitatem illam biblicæ phraseos ubique repræsentandæ excultus & expolitus, e Divinis potissimum alveariis haurit dulce ac venustum sermonis genus, tam propinquus magistro suo & mellitus, ut sæpe ambigere lector possit, Guerricumne legat, an Bernardum.

GUIBERTUS TORNACENSIS, 900.
seu, ut alii scribunt, Gilbertus, e Se-
raphica Minorum familia. De Tran-
quillitate Animi tam placite ac sedate
docet, ut ipsa loquendi ratio magnitu-
dinem & æquabilitatem animi, ad om-
nem eventum parati & erecti, tam in
scriptore demonstret, quam excitet in
legente.

GUIGO, seu Wigo, Carthusiæ 901.
Prior quintus, edidit Scalam Claustra-
lium, seu librum de Modo orandi, qui
sub titulo Scalæ Paradisi inter Opera D.
Augustini receptus est, ab aliis autem
D. Bernardo a scriptus. Evidem magnas
Gui.

Guigoni laudes tum Bernardus imper-
tiit, tum etiam Petrus Abbas Clunia-
censis. Ut patientiam ac duritiem in
ipsa vita adamavit, ita in docendo áspe-
ritatem quandam salutarem retinuit.

902. GUILIELMI duo, ex Anglia alter,
Guilielmi alter e Gallia. GUILIELMUS N EUBRI-
GENSIS, Canonicus Regularis Ord.
S. August. in Collegio Neubrigensi seu
Novoburgensi in Eboracensi provincia,
anglice dictus Little seu Parvus. Præter
libros Historiæ Anglicanæ, qui ad fo-
rum meum non pertinent, commenta-
tus est in Cantica Canticorum: tametsi
non desunt, qui de auctore dubitent.
Totam Cantici summam ad Virginen DEI Matrem retulit: quapropter & ab
Hippolyto Marraccio in Bibliotheca seu
Polyantha Mariana Scriptoribus Parthe-
niis annumeratus est. Usus eo est ubi-
que doctissimus noster Martinus Delrius
in præstanti suo ad Salomonis Canti-
cum volumine: ubi c. 5 Isagoges au-
ctor hic ab eo dicitur acutus, doctus, pius,
utique in Divinam Parentem; daturum
se ex illo præcipua, resectis inculcationi-
bus iteratis, quæ huic auctori satis sunt fa-
miliares. Alter GUILIELMUS, e Clu-
niacensi familia, ABBASS. THEODO-
RICI RHEMENSIS, de cuius Epistola,
imo Libro, ad Fratres de Monte DEI,
diu

diu inter Bernardi Opera recensito,
 ita scribit præclarus Bernardi editor,
 Jacobus Merlonus Horstius, præf. in
 Tomum V Operum Bernardi, unaque
 de ceteris Guilielmi libris & stylo indi-
 cium facit: „Stylus durior & abstru-
 „sior, præsertim post medium Episto-
 „lae usque ad finem, nihil videtur ha-
 „bere commune cum melliflua Bernar-
 „di dulcedine: at si conferas alia Gui-
 „lielmi Abbatis scripta, veluti librum
 „I Vitæ S. Bernardi, item Meditatio-
 „nes, & Librum de Amore,
 „magna est congruentia: vix ovum
 „ovo similius.“

HALITGARIUS, Cameracensis
 & Atrebæxensis Episcopus, de vitiis &
 virtutibus, ac remediis peccatorum,
 libros V condidit, in quibus severi
 Dictatoris, morumque Censoris senten-
 tias potius, quam compositam Orato-
 ris eloquentiam deprehendas.

HAYMO, Episcopus Halbersta-
 tensis. Præter Commentaria in diver-
 sos Sacræ Paginæ libros, Homiliae in
 Evangelia per annum digessit, ex Au-
 gustino, Hieronymo, Cyrillo, & Be-
 da ita conslatas, ut non modo eorum
 sensa, sed etiam verba lectori anume-
 ret, solum fere nexus de suo addens.
 De

903.
 Halitga-
 riusr.

904.
 S.Haymo.

De Commentariis in Pauli Epistolas, propendo potius in Remigium Autissiodorensem : uti dicam, cum de ipso & S. Remigio Episcopo Rhemensi sermo erit.

905.
B. Henr-
icus Suso.

HENRICUS SUSO, immortalis Sueviæ gloria, & sacræ D. Dominici familiæ singulare decus. Summa omnium voluntate auditus est, cum ad populum diceret, & animos flexit, quo-cunque collibitum erat: sed jactura irreparabili pretiosas illas cœlestis eloquentiæ reliquias tempus posteritati subduxit. Supersunt centum Meditationes de *Passione Domini*, & alia quædam Ascetica, a diligentissimo viro Laurentio Surio ex germanico latine versa; & a sancto auctore divinam unctionem, ab interprete nitorem latinitatis non mediocrem nacta.

906.
Herveus.
Dolensis.

HERVEUS DOLENSIS, in Diœcesi Bituricensi, Ord. S. Benedicti, singularis ingenii, atque inæstimabilis memoria fuisse perhibetur in Epistola Encyclica Dolensium, quæ Tomo II Spicilegii Acheriani extat. Multa scripsit, sed nihil typis vulgatum occurrit, nisi Expositio Pauli & Esaiæ. Priorilla dudum Anselmi esse putabatur, donec errore comperto segregata, & vero domino restituta est. In altera autem, quæ octo libros complectitur, ita Esaiam Herveus

veus expendit, ut Jobum Gregorius: neque ullus est ex omni Scriptorum Ecclesiasticorum numero, qui Magno illi Pontifici toto tractandi scribendique modo vicinior sit Herveo: hic enim imitatus est, Odo Cluniacensis exscript.

HIERONYMUS, quem in expone-
nendis Sacris Scripturis Doctorem Ma-
ximum Ecclesia ipsa in Sacrificio & Ho-
ris Canonicas appellat. Posthumianus,
qui sex menses cum eo vixit, in Dialogo I Sulpicii Severi sic de viro laborio-
fissimo loquitur: *Totus semper in lectione,*
totus in libris est: non die, non nocte requiescit:
aut legit aliquid semper, aut scribit. Perpetua
hac industria duas sibi res comparavit,
interpretando Dei verbo maxime op-
portunas, vel potius necessarias; lin-
guarum primævarum notitiam, qua in
ipsum Theograpborum sensum penetraret;
& omnium ante se interpretum ac Pa-
trum cognitionem, ne suo sensui nimium
consideret. Linguas ac doctrinam in
eo prædicavit Augustinus, cum de Ci-
vit. D. XVIII 43 scripsit: *Presbyter*
Hieronymus, bono doctissimus, & omnium
triūm linguarum peritus; nimirum latīnae,
in quā transferret; hebraicæ & græcæ,
e quibus transferret. Sed quoniam de
eloquentiæ hic proprie agimus, Vene-
rab. Petrum Canisium audiamus, virum
Lib. XI. (O) &

907.
S. Hieron-
ymus.

& Patrum antiquorum eruditione instru-
ctissimum, & in pronunciando modera-
tissimum. Is ergo, præfat. in suam
Epistolarum Hieronymi editionem,
cum Patres Latinos alios illi compara-
set, Cyprianum, Hilarium, Ambro-
sium, Augustinum: plenos quidem &
hos ait esse Apostolorum spiritu, do-
cta que pietate, sed parem illorum eloquen-
tiam bāud pauci desiderarunt. Quoties con-
tra vitia, aut homines improbos, vir-
tutis ac veritatis cauſam tuendam su-
cepit, non scripsit, sed intonuit Hierony-
mus, ut verbo utar P. N. Olivæ, ex
Orationib. XL, conc. de D. Matthæo.
Quam Ciceronianus fuerit, narrat ipse
vir sanctus Eustochio epist. 22. Lau-
rentius Valla, scientissimus ille venu-
statis & leporis omnis latini, præf. in
I. IV Elegantiarum ita interrogat: *Quid Hieronymo ipso eloquentius? quid magis orationum? quid, licet ille sōpe dissimulare velit, bene dicendi sollicitius, studiosius, observantius?* In D. Hieronymi rationes
falso inducta est Appendix Tomi III,
in Acta Apostolorum; Commentaria
in Threnos Jeremiæ; in Psalmos To-
mo VII; & in Jobum Tomo VIII:
prima horum & ultima Bedæ sunt; Thre-
norum explanatio Rabani; Psalmorum,
incerti eujusdam multo junioris, quem
sermonis hebraici ignarum fuisse, mul-
tis

tis argumentis docere possumus. Expositio Marci jam a Mariano Victorio, gnavo & attento Hieronymi editore, merito expuncta est. Liber in Proverbia quorundam calculo Bedæ conceditur; Hieronymi certe esse nullo modo potest. Commentaria in omnes Pauli Epistolas Tomo VIII tam procul ab Hieronymi calamo & pietate absunt, ut a Pelagiano auctore in lucem protrusa esse pateat: at illa, quæ Tomo VI leguntur, in Epistolam ad Galatas, Ephesios, Titum, & Philemonem, probæ monetæ sunt, & ab ipso Hieronymo cussæ. Sermo seu Epistola ad Paulam & Eustochium de Assumptione B. V. M. non tantum Hieronymi non est, sed neque Sophronii Patriarchæ: eademque ratio est Sermonis seu Epistolæ alterius de Assumptione B. MARIAE. Taceo Epistolas alias, sive dubias, sive certo suppositicias; quia hoc nostro proposito alienas. Catalogus Scriptorum Ecclesiasticorum ad Desiderium, Tomo IX, jejunus est, nec Hieronymi eruditione dignus: quæ quanta sit, insignis & pretiosus ejus liber de Scriptoribus Ecclesiasticis ostendit, qui Dextro inscribitur, & Operum Tomo I finem imponit. Quæstiones seu Traditiones Hebraicæ in libros Regum & Paralipomenon ab Hieronymo nobis relictæ non

(O 2) sunt.

sunt. Insignitas Hieronymi notas duō
auctores exhibent, quorum alter ipsius,
alter plurimorum veterum notitiam
plenissimam collegit; Marianus Victo-
rius, Episcopus Reatinus, quem modo
laudabam; & Theophilus noster Ray-
naudus. Victorius ad Epistolam quar-
tam Hieronymi ita scribit: „Mirum
„est, quam docte & apposite omnia
„citet Divus Hieronymus, & quam
„multas historias paucis verbis colligat,
„& anagogicos exponat. qua in re ita
„locuples rebus, verbisque concisus,
„& clarus est, ut in ea neminem ex
„veteribus parem profecto habuerit.“
Theophilus autem Operum Vol. XI, in
Eratematis de justa & injusta Confix.
Librorum, in ipsa libri clausula § 580
inquit: „Is fuit Sanctus Hieronymus,
„ut ejus in scribendo dotes, non di-
„cam aliequi, sed ex parte saltem ali-
„qua, etiamsi minima, exprimere posse,
„ad felicitatem in hoc genere sat esse
„posse videatur. Non illum eruditio,
„non judicium, & quidem acre ac
„emunctum, non linguarum peritia,
„non eloquendi copia, non quidlibet
„evinendi facultas defecit.“

908.
Hilarii
tres.

HILARII tres, Arelatensis, Pieta-
viensis, & Sardus. S. Hilarius Pieta-
viensis a D. Hieronymo præf. in l. II
in

in Epist. ad Galatas ingeniose vocatur
latinæ eloquentiæ Rhodanus, a flumine suæ
 patriæ sumpto elogio. Ejus sunt incom-
 parabiles libri XII de Trinitate, & in-
 genio ac majestate plenum volumen in
Matthæum. Carmina, ut alibi in hac
 Patrum recensione, tacitus prætermitto:
 quanquam illud certum est ex Hierony-
 mo l. d. & libro de Scriptor. Eccles.
 scriptum esse ab Hilario Pictaviensi li-
 brum Hymnorum: & quidem, ut D.
 Isidorus Hispalensis de Officiis Ecclesiast.
 I. 6 observat, *hymnorum carmine floruit*
primus. Carmen in Genesim omnium
 confessione Hilarii Pictaviensis non est,
 sed fortasse Arelatensis. Epistolæ duæ
 ad Augustinum a negro horum dicta-
 tæ sunt, sed ab homine sacerdotii ex-
 perte. Quam eloquentiæ formam Hi-
 larius Arelatensis in Homiliis expresso-
 rit, ignotum est; et si enim scripsisse
 plurimas scimus, eas tamen posteritati
tempus invidit. Hilarius Sardus, Ec-
 clesiæ Romanæ Diaconus, auctor esse
 fertur Commentariorum in Epistolas
 Pauli, & Quæstionum in Vetus ac No-
 vum Testamentum: quorum illi olim
 inter Ambrosii, hæ inter Augustini
 Opera delituere; ignoscendo errore,
 quandoquidem acumine & subtilitate
 ab utroque Doctore non plurimum
 ab ludunt. Hilarium hunc, a Luciferi-
 anis

rianis deceptum, ut sacri fontis iterandi necessitatem cum Rebaptizantibus crederet, urbane Deucalionem orbis Divus Hieronymus nuncupavit. Verum eo tempore, quo illa commentabatur in Paulum, integræ fidei & Sedi Romanæ obedientem fuisse auctorem, perspicue, & sine tergiversatione, ipsius verba ostendunt.

909.
Hildeber-
tus.

HILDEBERTUS, Cenomanensis primum, postea Turonensis Episcopus. Extat ejus liber Epistolarum, utilia plurima legenti offerens, multisque verborum & sententiarum luminibus distinctus.

910.
Honorius
Augusto-
dunensis.

HONORIUS AUGUSTODUNENSIS, non Episcopus, sed Presbyter & Scholasticus. Præter Philosophica, & Theologica, multa Ascetica & Exegetica elucubravit. Libros de Imagine Mundi & Elucidarium, supra in Anselmo, Augustodunensi huic vindicavi. Bene meritus est de Scriptoribus Ecclesiasticis omnibus, se ipso antiquioribus, in libro de Luminaribus Ecclesiæ: quo, præter Hieronymi seriem in epitomen contractam, etiam enumeratos a Gennadio & Isidoro complectitur, aliosque præterea adjungit. Obscuriorem eum hoc loco facit brevitas, eruditum quendam editorem invitans, qui animadversionibus res me-

mq.

moratu dignas paulo uberius declararet.
 Fuit Honorii magna industria , magna
 fœcunditas , magnum & venustum in-
 genium. Multa e vetustioribus Patri-
 bus conquisita libellis suis inseruit , eum
 ad finem , quem ipse indicat prolog.
 in Sacramentarium : „ Hunc libellum
 „ de Sacramentis collegi ex Sanctorum
 „ scriptis : ut , quibus deest librorum
 „ copia , per hoc compendium illorum
 „ sublevetur inopia .“ Adde , quod
 hoc librorum genus etiam eos commo-
 diissime sublevat , quibus etsi non de-
 sunt antiquorum volumina , ea tamen
 diuturno labore pervolutare , & oppor-
 tuna sibi corrogare non vacat.

HUGO CARENSIS , seu a S. Ca-
 ro , de quo princeps historicorum Hi-
 spaniæ , Joannes Mariana , XIII 2 nar-
 rat : „ Hugo ex Dominicano Ordine
 „ Cardinalis , Barcinone patria , eximia
 „ eruditionis opinione clarus , Divinos
 „ Libros commentarilis illustrabat. Bi-
 „ bliorum hic Concordantias , infinitum
 „ pæne opus , Herculea plane audacia
 „ primus excogitavit , & quingentorum
 „ monachorum ope adjutus perfecit ,
 „ incredibili rei literariæ proventu .
 „ Hugonis diligentiam longo post inter-
 „ vallo Hebrei Græcique imitati ,
 „ utriusque linguae studiosorum con-

911.
Hugo Ca-
rensis.

,,tus non primum juverunt.“ Ita vlt
hebraici græcique sermonis non minus,
quam latinitatis gnarus. Purpuratus
Hugo brevissimis notationibus universi
Divini Codicis quadruplicem sensum
discrevit; in Psalmis præsertim, Esaias,
& Evangeliiis, laudem maximam conse-
cutus. Psalmos quidem aliis etiam Com-
mentarilis separatim dilucidavit: nec
enim Alexandri ab Ales, sed Hugonis
Carensis dicendi sunt. Bibliorum Concor-
dantias sic ipse instituit, ut Nomina
tantum & Verba repræsentarentur, ex-
clusis particulis, quæ mutatione carent.
Has quoque adjunxit Conradus Halber-
stadius, ac dimidio circiter seculo post
Hugonis inventionem ad summam com-
moditatem hoc verbi divini promptua-
rium adduxit. In græcis quoque dein
ac hebraicis Bibliis similes Concordan-
tiae tentate sunt, non simili tamen suc-
cessu. Græcarum, quod quidem sciām,
primæ ab Euthalio Monacho Rhodio,
hebraicarum ab Isaaco Nathanis filio
Levita concinnatae sunt. Quantum
emolumenti ex hoc, ut ita dicam,
Ariadnae filo extiterit, etiam inde
cognosci facile potest, quod humanior-
um quoque literarum studiosi ad hoc
præsidium configerunt, & ex Auctori-
bus suis Clasticis ejusdem generis Con-
cordantias seu Indices Vocabulorum
omne

omnium fabricarunt: quod cum a pri-
vatis pluribus, tum splendidissime in
Bibliotheca Regia Delphini fructu po-
steritatis incredibili factum videmus.

HUGO VICTORINUS, gente
Saxo, Canonicus Regularis D. Augu-
stini Lutetiæ Parisiorum in religioso S.
Victoris domicilio, unde nomen adsci-
tum est. Libri de Claustro Animæ ab
hoc ad alium Hugonem, a Folieto no-
minatum, in D. Benedicti familiam ve-
lut postliminii jure traducti sunt: quod
multis Nideri testimoniosis, & auctorita-
te Trithemii comprobatur. Liber pri-
mus & tertius de Anima per errorem in
D. Bernardi Opera immigrarunt, ille
sub titulo Meditationum de Cognitione
humanæ conditionis, hic libri de Inte-
riore Domo. Addenda Victorini
Opusculis omnino fuit insignis Epistola
ad Joannem Hispalensem, qua eum a
lapsu revocat, totam Andalibus suis
Ecclesiasticis intexuit Illustrissimus Ba-
ronius, ad A. C. 1136. Dubii sunt
libri de Medicina Animæ, de Fructibus
carnis & spiritus, & Canon mystici Il-
luminis. Miscellanea, sive ab ipso,
sive a discipulo collecta, in erroris pe-
riculum conjicere neminem possunt,
quandoquidem verus & primus auctor
utrobique Hugo est. Tanto ille studio,

Hugo VI-
ctorinus.

(O 5) tan.

tantoque successu, in libris suis magnum
Aurelium Augustinum imitari conatus
est, ut etiam cognomento *Lingua Au-*
gustini a viris doctis sit nuncupatus.

913.
Humber-
tus

HUMBERTUS Venerabilis, Hu-
gonis Carensis discipulus, tandem san-
ctissimi Prædicatorum Ordinis quintus
Magister Generalis. Præter Sermones,
& Epistolam de tribus Votis religiosis,
sex libris Institutionum Spiritualium seu
Speculo Religiosorum bibliothecas sa-
cras locupletavit. Opus est accuratum,
& ad perficiendos animos mire accom-
modatum; olim Guilielmo Peraldo seu
Paraltæ, auctori non suo, a quibusdam
ascriptum. Eloquentia Humberti non
e schola venit, sed talis est, qualis Le-
gislatorem decet.

CAPUT VI.

Patres & Scriptores Eccle-
siaſtici ordine alphabeti.

I — P.

914.
Jacobus a
Vitriaco,
& a Vor-
gine.

JACOBUS A VITRIACO, Gallus,
S. R. E. Cardinalis, & Episcopus
primum Acconensis in Palæstina, de-
mum Tusculanus in Italia. Volumen
Sermonum e Sacrae Paginæ testimoniis
ita contextum est, ut solæ propemo-
dum

dum compages & commissuræ ipsius auctoris sint: hærent autem tam apte, ut egregium fuisse interpretem satis appearat. De Vitriacensis Historia Orientali & Occidentali, quæ & Hierosolymitana dicitur, br̄viter repetam, quod haud ita pridem vir doctissimus & Historiæ Professor celeberr. Henricus Schüzius S. J. in Commentario Critico de Scriptis & Scriptor. Histor. Vocab. de Vitriaco his verbis sapienter distinxit: *Vitriacum falsa subinde relatione fuisse deceptum dubitari non potest. . . . Sed & pleraque omnia, quibus syncronus aut etiam oculatus interfuit Vitriacus, maximam fidem mereri est certum; singillatim in Vita B. Mariæ Ogniacensis.* Alter JACOBUS, A VORAGINE vulgo dictus, rectius a Varagine, quod oppidum est in ora Liguriæ, ex inclita D. Dominici familia Archiepiscopus Genuensis: de quo eruditissimus Sixtus Senensis, ejusdem Ordinis, in Bibliotheca Sancta l. IV, initio literæ J, hæc duo memoratu digna tradit: *Augustini voluminum ita studio-
sus, ut ea pene omnia memoria teneret:
utriusque instrumenti divina volumina primus
omnium in Italicam linguam summa fide ac
diligentia transfudit.* Sermones ejus, qui supersunt, quam eloquentiæ formam sequantur, dixi in his Subsidiis L. I N. 67. Gaudebant nimirum illa tem-
pora

pora non Divisione tantum seu Partitione totius Orationis, sed etiam *Subdivisione*, eaque ipsa multiplici: ut non absimilis esset arbori, cuius rami præcipui in minores, hi ipsi n frondes discedunt, unde folia fructusque erumpunt. Verum nihil plures de Jacobo Januensi seu Genuensi sermones excitavit, quam *Legenda illa Aurea*, alio nomine dicta etiam Historia Lombardica aut Longobardica. Non facile librum invenias, qui suis proximisque temporibus tanto omnium ordinum plausu & usu celebratus, idemque postea tanta asperitate perstrictus, & ab omni hominum genere sauciatus sit. Duo potissimum in illo volumine accusantur, narrationes de rebus gestis Divorum, & nominum etymologiæ in narrationum vestibulo collocatae. Narrationes fabulosæ, nominum derivationes inscitæ & imperitæ dicuntur. Evidem disceptare de veritate, maxime cum bonum publicum agitur, jus cuique & fas est: sapiens tamen Criticus nunquam committet, ut moderationis limites acerbitate verborum transiliat, & causam cum persona confundat. Sint in historia maculæ, sint vocabulorum aliquæ interpretationes parum suæ origini respondentes. Deserantur igitur, & meliora in eorum locum substituantur.

Sit

Sit tamen suus honos christiano Pontifici, viro docto, homini diligentissimo, qui tantum laboris ac temporis posteritati transmisit. Fruamur nos temporum nostrorum luce: sed siquid caliginosum in seculis illis antiquis respiciimus, excusatione potius, quam vituperatione dignum putemus: & ita caueamus a falsitate, ut humanitati non desimus. Incredibilia sunt in eo multa, inquietant. non ideo falsa, nam & in probatissimis Divorum Actis non minus incredibilia legimus, & recipimus. At horum auctores novimus; Januensis nullos edit. credo, quia nullos, quos ederet, habuit; nominaturus utique auctores & fontes, si deprehendere potuisset. Quid ergo irascimur ei, qui hoc unum non fecit, quod facere non potuit? Malumus certa, quam dubia, quasi vero non & ipse maluerit. Non placent, quæ dedit? dedit tamen optimæ, quæ habuit. Grates agamus felicitati temporum, quæ tam multa tunc incognita sensim evolverunt & protulerunt. Etymologiae sunt abhorrentes? sunt: sed addidit, ait Joannes noster Bollandus præf. general. in Acta SS. c. i § 4, sed addidit aliis, ut puto, quispiam vitiis nonnullis ineptam & ridiculam nominum interpretationem, indignam sane Jacobi eruditione. Cumque Jacobum Archi-

Archiepiscopum *virum sanctum & sapientem*
appellasset, quorundam conviciis magis,
quam judiciis, ibidem hæc reponit:
 „Fuerit Jacobus stylo minus compto,
 „ut illa erant tempora, at erat non
 „modo doctus & pius, sed prudentia
 „judicioque singulari, ut, quam pro-
 „babilia essent, quæ scribebat, Vive
 „Erasmoque melius potuerit judicare.“
 Hæc Bollandus, maximi illius Operis
 dux & parens, cuius tanta est in judi-
 cando comitas, quanta peritia, longe
 a Criticorum mediocrium ferocia distans.

915.
Idiota.

IDIOTA, vir modestissimus, qui
 sub ascito hoc nomine latere, quam
 prædicari a posteris maluit; & quod
 optavit, aliquot seculis consecutus est.
 Et nomen ejus, & patria, & status,
 & seculum, quo vixit, diutissime igno-
 rata sunt. Theophilus demum Ray-
 naudus, omnis rei librariæ oculatissi-
 mus investigator, divinatione primum
 ac ingenio, denique certissimi monu-
 menti fide, omnia in lucem protraxit,
 Operum Tomo XI, in Cogitationib.
 priorib. & posteriorib. ad Idiotam. Ibi
 ergo e Turnonensi MS. & exemplo
 pactionis cuiusdam Uticensis eruit, au-
 ëtorem hunc vero nomine dictum esse
 Raymundum Jordanum, patria Gallum,
 Præpositum Canonicorum Regularium

U.

Uticensem seu Uzeciensem (d' Uez) anno christiano 1381, d' inde Abbatem ejusdem celeberrimi Ordinis Cellis in Diœcesi Bituricensi: ubi & inter vivos esse desit. Idiotæ Opuscula XIII numerantur: quorum tamen duo ultima, Regulæ Vitæ Christianæ, & Paraphrasis Psalmi XV, ex Joanne Pico Mirandulano in alienum solum huc transmigrarunt. Scribendi ratio auctori huic, qualis vivendi, modesta & minime ambitionis; quæ leni subinde affectu legendum animos ad pietatem in Superos excitat.

IGNATIUS MARTYR. Veræ & ab orthodoxis agnitæ ejus epistolæ sunt duodecim; ad Ephesios, Magnesios, Trallianos, Romanos, Philadelphenses, Smyrnæos, Polycarpum, Mariam Castabolitam, Tarsenses, Antiochenos, Heronem, & Philippenses. Quæ præterea leguntur, Ignatii ad MARIAM Virginem DEI Parentem, & Joannem Apostolum, responsum item Matris Virginis, & Mariæ Cassabolitæ, ab Optinæ notæ Criticis pæne omnibus repudiantur: nec valuere hactenus argumenta, ab illorum patronis allata, ut refragantibus persuaderent. Orationis modus Apóstolo dignus, qui nec Petri in scribendo majestatem, nec Pauli ardorem, nec Joannis caritatem desiderat.

916.
S. Ignatius
Martyr.

ILDE.

917.
S. Ildé-
phonsus
Toleta-
nus.

ILDEPHONSUS TOLETA-
NUS Episcopus, scriptor Marianus. Certus & extra controversiam positus ejus liber est de Virginitate illibata S. Genitricis DEI MARIAE, is qui synonymorum ordine contextus est. Cetera, videlicet liber alter de Virginitate perpetua S. MARIAE, & de ejus Parturitione, omnesque Sermones, tam diversam inter se structuram, tam inæqualem tractandi & eloquendi rationem habent, ut nemini possit credibile fieri, hæc omnia ejusdem hominis laborem esse. Seorsum de Sermonibus, quibus Divi hujus nomen in Bibliothecis Patrum præfigitur, tam valide disputat Joannes Baptista Poza in Elucidario Deiparæ l. IV tr. 4 c. 6, ut de argumentis adversis dicat: *cogunt* nos dissentire. Fuit Isidorus, teste Joanne Mariana VI 10 de Rebus Hispan. *omni liberali doctrina excultus*, & placuit illi seculo synonymorum ista concinnitas, quæ hodie laudem non ferret.

918.
Innoce-
n-
tius III.

INNOCENTIUS III PONT MAX. Præter Epistolarum & Decretalium libros, totumque Concilium Lateranense sub ipso celebratum, propria hujus loci edidit Opuscula sacra, & volumen Sermonum. In severis etiam argumentis ornatus, in tristibus quoque amoenus,
ubi-

ubique sententiarum ponderi elegan-
tiam miscuit.

JOANNES CARPATHIORUM 919.
EPISCOPUS. Monachis Indis, be-
 nescium hoc a se petentibus, scripsit
 Capita Hortatoria, id est, sententias
 seu documenta brevissima ad vitæ san-
 ctimoniam consequendam. Magnus est
 horum Capitum numerus, non tamen
 inter se cohærentium, sed ut fors tulit,
 in cumulum effusorum. Aptissime au-
 tor in ipso vestibulo sententias has
 suas floribus comparat, quos e variis
 pratis collectos in uno fasce offert.

JOANNES HIEROSOLYMITA- 920.
NUS Patriarcha. Vir magni & arden-
 tis ingenii, cui multa per ignorantiam,
 quædam fortasse per invidiam, afficta
 sunt. Nihil inter hæc alienius libro de
 Institutione primorum Monachorum:
 hunc enim a græco auctore exaratum,
 omnino extra fidem est. De diversis
 erroribus, præsertim Origenis, sapius
 accusatus est: at ipse reprehensoribus
 evulgato libro respondit, ingenium se
 Origenis, non errores, affectatum &
 æmulatum esse. Quidam, ut opinor,
 Joannis nomine ad hoc inducti, Patriar-
 chæ huic attribuerunt Opus illud in
 Mattheum, quod *Imperfectum* dicitur,
 & I. Joannis Chrysostomi Commentario

Joannes
Carpa-
thius.

Joannes
Hieroso-
lymitanus.

in Matthæum apponitur. Verum isti nec ullum unquam conjecturæ suæ argumentum invenire potuerunt, & Joannis Hierosolymitani gloriam adeo non amplificarunt, ut, propter graves illius voluminis errores, insigni potius dedecore heroem suum macularent.

921.
Joannes
Moschus.

JOANNES MOSCHUS : cuius Pratum Spirituale, seu Limonarium, ut e græco nominatur, duas movit quæstiones, alteram de libri auctore, alteram de historiae fide. Auctor a non paucis dicitur S. Sophronius, Patriarcha Hierosolymitanus, cui Moschus historicum illud opus inscripsit, discipulo præ cæteris caro, rerumque multarum testi, quæ in volumine hoc narrantur. Fortassis etiam, quæ nonnullorum est suspicio, Sophronius ipse quædam literis consignavit, a magistro deinde monumentis his inferenda. Alias præterea rationes, cur Pratum Sophronii dici non falso potuerit, Aloysius Lipomanus, Veronensis Episcopus, in sua ad id Opus præfatione congesit. Ceterum, si proprie & ex historica veritate res ipsa dicenda est, scriptor libri Moschus est, non Sophronius: nam neque librum sibi quisquam dedicat, & eruditissimus PC. Photius Bibliothecæ Cod. 199 clarissime auctorem Moschum prodit,

dit, & in diversis libri narrationibus ipse scriptor se a Sophronio aperte distinguit, dicendo: *Ego, & Dominus Sophronius: Assumpsi Dominum meum Sopbroniu[m]: Dominus Sopbius; is tunc erat Sophronius: Abbas Sopbronius, frater meus: Erat nobiscum Sopbius Sopbronius: Ego & sodalis meus Sopbronius: Dixit mibi Abbas Sopbronius: aliaque generis ejusdem.* Quapropter, cum a D. Joanne Damasceno, a Concilio Niceno II, & in Acrostichide Græcorum ad diem XI Martii, Limonarium Sophronio tribuitur; id per *catachresin dictum* putemus, tanquam historiæ parti, & socio; ac veluti patrono, cui inscripta, & a quo vulgata est. Quæstio altera ad historiæ veritatem devolvitur, quam in Prato hoc multis spinis & loliis vitiatam esse, etiam magni viri contendunt. Moderateissimus Annalium Ecclesiasticorum auctor, Cæsar Baronius, ad A. C. 407 non se continuit, quin de Moscho dicaret: *fide carentia inter rejectitia ducimus feligenda, ac respuenda: ut eadem confutemus.* Tum recitata Moschi narratione, inquit: „Haec tenus auctor, mutuatus „haec, ut ipse testatur, ex relatione „a femina ad Athanasium Abbatem fa- „cta, eademque sorore ipsius Adelphii, „quem dicit fuisse tunc temporis Epi- „scopum Arabissi. Sunt autem haec

„parum fide tuta , utpote quæ in primis
 „ejusdem Joannis Chrysostomi testi-
 „monio mendacii arguantur , dum ab
 „eo ponitur Treius Episcopus Arabissi,
 „& non Adelphius. Sed & cum tra-
 „dat auctor , in domo Adelphii hospi-
 „tatum esse Joannem , cum Cucusum
 „in exilium missus esset: plane erroris
 „arguitur : nam ipse Chry-
 „sostomus disertis verbis narrat , a Dio-
 „scoro se susceptum hospitio , & non
 „ab aliis , licet id complures expetie-
 „rint. Cum autem hæc compingat ea
 „narratione mendacia , quæ fides in
 „reliquis ? Sed
 „faceant jam isthæc : non enim indi-
 „gent Sancti nostris illustrari mendaciis,
 „qui propriis virtutibus decorantur.“
 Siquis nunc suscipere Moschi patroci-
 nium vellet , fortasse responsa non de-
 essent , quibus reprehensionis hujus acri-
 monia elideretur. Mihi satis est anno-
 tare , hæc a Baronio non universe de
 toto Moschi volumine , sed de una il-
 lius narratione dici. Nec ignoro , esse
 alia quædam paucula , Baronio aliisque
 in Prato minus probata. At licet no-
 bis de Historico dicere , quod benigne
 Horatius de Poetis cecinit:

*Verum ubi plura nitent in carmine, non
ego paucis*

Offen-

Offendar maculis, quas aut incuria fudit,

Aut humana parum cavit natura.

in Arte Poetica.

Quotusquisque Historicorum est, qui non aliquando hallucinetur, & censoriam Aristarchi aut Pagii alicujus virgulam sentiat? Delectu opus, quo flores a spinis, & herba a lolio secernatur. Leniter Purpuratus alius, Robertus Bellarminus, l. de Scriptorib. Eccles. seculo VII, de Moschi Prato ait: *Liber est magna ex parte utilis, & citatur in VII Synodo, Concilio nimirum Nicæno.* Photius in Bibliotheca l. d. etsi dictiōnem Moschi humiliorem non dissimulat, de rebus tamen ita prædicat: *Ex omnibus id, quod erat profuturum, vir intelligenſis DEIque amans elegit.*

IRENÆUS, temporibus Aposto-
lorum proximus, D. Polycarpi disci-
pulus, ab eoque in Gallias missus,
Episcopus & Martyr, Tot nominibus
auctoritatē maximam assecutus, & ve-
terum etiam Patrum, Augustini, Gre-
gorii Magni, Tertulliani, elogiis con-
decoratus est. Quanquam ex ejus Ope-
ribus soli supersunt libri quinque adver-
sus Hæreses, ii ipsi tamen veluti arma-
(P 3) men-

922.
S.Irenæus.

mentarium habentur inexhaustum & insuperabile contra profanam doctrinæ novitatem, & in omnium seculorum antiquas novasque hæreses tela suppeditans. Latina ejus e græco interpretatione, est illa quidem vetustissima, manus tamen ignotæ. Quod autem Erasmus olim in animum induxit, Irenæum latine scripsisse, non græce; mirus in eo viro lapsus fuit, contrariis undique argumentis obrutus, neque deinceps inter eruditos opinionis ejusdem asselolam nactus. Epistolam Irenæi, vel fragmentum potius Epistolæ, ad Florinum, qui DEUM esse peccati auctorem criminabatur, Eusebius Histor. Eccl. V 19 nobis conservavit. Stylus docenti convenientissimus: follicite definit, perspicue exponit, ratiocinatur firmiter, efficaciter a falso ad verum abducit.

923.
Irimber-
tus.

IRIMBERTUS ADMONTENSIS. Ad nostrum usque seculum magnus hic Abbas Ordinis S. Benedicti, eiusque nobilissima in Libros Divinos Commentaria, tam exili notitia etiam inter doctos potitus est, ut propemodum latuisse dici possit. Verissima fuit conjectura Jacobi Gretseri in Append. ad Divos Bambergenses, insignem fuisse virum Irimbortum hunc, de quo celeberrima Monasteria & Episcopi Germaniæ

niæ inter se tam acriter dimicarint. In ejusdem Gretseri Operibus Tomo X, inter Epistolas de Rebus Bambergensis, epist. 32 ab Eberardo Episcopo Bambergensi Irimbertus dicitur *Angelus Domini*: tanta viri reverentia, tantum desiderium erat. Nostra demum ætate Bernardus Pezius, qui tam multa alia in suo Anecdotorum Thesauro a situ & pulvere liberavit, hunc etiam sui Ordinis Abbatem præstantissimum orbi literato & sacro ostendit, & ejus res gestas ac libros Dissert. Isagogica in Tomum II Anecd. erudite digessit. Effigiem ejus veram, eoque dignam, ibidem his verbis exhibit: „Omne „suum studium & curam ad Divinarum „Scripturarum cognitionem ea seduli- „tate transferebat, ut cum eruditissi- „mis & doctissimis eo in genere viris „sua ætate conferri potuerit. Erat „Irimbertus non solum amœno & acu- „to ingenio præditus, sed gaudebat „præterea mira quadam styli facilitate, „qua id consequebatur, ut quidquid „pie ac docte in Divinis Literis exco- „gitasset, id omne celerrime, nec in- „eleganter, in membranas & tabulas „referret.“

ISAAC SYRUS, Antiochenæ Ec.
clœsiæ Presbyter, non græco, sed pa-
trio sermone syriaco in scriptis usus est.

(P 4)

Extat

924.
Isaac Sy-
rus.

Extat ejus liber de Contemptu Mundi,
in quo legentes tanto ardore a lutu-
ento vitiorum amore abripit, & in vani-
tatem rerum fugacium tanta vi inveh-
itur, ut christianum Cassium appellare
possis.

Quale fuit Caffi rapido ferventius amni

Ingenium,

Horatius 1, I Serm, sat, 10.

925.
SS. Isidori vorum conspicuus, Hispanus alter, al-
ter Aegyptius. ISIDORUS HISPA-
LENSIS, miris summorum virorum
laudibus propter doctrinæ abundantiam
cumulatus. Sanctissimus hic Archiepisco-
pus Hispalensis dicitur Junior, compara-
tione Isidori alterius, Episcopi Corduben-
sis, qui duobus ante Hispalensem secu-
lis Commentariis libros Regum illustra-
vit. Distinguendus etiam hic Ecclesiæ
Doctor a tertio quodam Isidoro, qui
& ipse nonnullis est Junior, nimirum
Hispalensem respicientibus: Pacensis
hic fuit Episcopus, auctor Chronicæ,
quod ad meum scopum non pertinet.
Liber de Ordine Creaturarum, in Spi-
cilegio Acheriano seu Dacheriano sub
Isidori Hispalensis nomine collocatus,
in dubitationem adducitur. Epistola
quo-

quoque ad Redemptum in Isidori Hispanensis ætatem non cadit, nondum tum exortis inter Latinos & Græcos de azymo controversiis. Liber de Confli-
ctu Vitorum & Virtutum, argumenti perutilis opusculum, e codd. MSS. &
Sigeberti auctoritate Isidoro satis asseri-
tur, Alius de Vita & Morte Sanctorum,
qui DEO placuerunt, seu de Ortu &
Obitu Patrum, nequaquam ab omnibus
agnoscitur: & sunt in eo nonnulla,
quorum falsitatem inficiari nemo possit.
Cum tamen e S. Braulione Cæsaraugua-
stano Episcopo compertum sit, hujus
argumenti librum esse ab Isidoro Hispani-
ensi conscriptum, nihil inconveniens
egerit, qui, nævorum culpa in libra-
rios collata, librum Isidoro reliquerit.
Diligentiam ejus incredibilem testantur
libri XX Originum seu Etymologiarum;
de quo opere princeps Historicorum
Hispaniæ, Joannes Mariana, VI 7 ita
tradit, de S. Leandro, fratre ejus majo-
re, narrans: „Isidorum tunc juvenem,
„incertum quæ de causa, sed intra con-
„clave tamen inclusit, sublata prorsus
„vagandi facultate, quod ille otium ad
„occasione evolvendi innumeros li-
„bros convertit: unde Etymologiarum
„volumen prodiit, quod Braulii hortatu-
„ex indefessa lectione consarcinavit,
„opus spissum & varium, atque ea

(P5)

,, etate

, ætate comparandum miraculo. **Cetera spiritum cælestem produnt, & elegantissimum ingenii acumen; maxime libri tres Sententiarum de Summo Bono, in quibus summa subtilitas cum pari brevitate certat, & ita lectorem tenet, ut ubique insistere, & rerum copiam meditari cogat.** Chrysostomi seu Oratoris aurei cognomento Isidorum ornatum esse, hoc ipso libro n. 807 retuli e Flore SS. Petri Ribadeneiræ ad diem 13 Jan. quod nihil illa ætate facundius auditum esset. Poteram ab Hispalensi ad Pelusiotam discedere, nisi me retineret famosus ille Isidorus, nunc Peccator, nunc Mercator dictus, qui fictio suo Decretorum corpore, tanquam e Pontificibus, Conciliis, & Partibus collecto, toti pæne Europæ plura secula imposuit & illusit. Quamdiu merx hæc sublesta certatim emptores & laudatores habuit, non defuere, qui S. Isidoro Hispalensi acceptam ferrent, non vulgari ejus injuria; tam multis enim, tamque crassis erroribus omnia ibi scatent, ut doctissimus Simondus, cum Blondellus ex omni parte volumen illud concuteret, festivo joco dixerit: Blondellus totis viribus effringere ostium apertum conatus est. Totas falsitatis omnigenæ catervas educit Claudio Fleurius Hist. Eccl. XLIV.

22, & ad extremum ita narrationem concludit: „Hæc Isidori fallacia, ut „ut pinguis ingenii partus, toti Latinæ „Ecclesiæ imposuit: nam ipsius Decre- „tales per annos octingentos genuinæ „creditæ sunt, vixque elapso ultimo „seculo sectatores veritatis hunc erro- „rem dedoceri se passi sunt. Hodie „vero nemo est, in Historia Eccle- „siastica vel mediocriter versatus, qui „earum falsitatem non agnoscat.“

ISIDORUS PELUSIOTA, D. Joannis Chrysostomi discipulus, numerosam ejus & magnificam eloquentiam, latumque illud disputandi ac exornandi genus non est amplexatus: ipse breviter & acute stringit, paucisque verbis multa comprehendit. Doctrinæ severitate, & admonendi ac reprehendendi libertate magistrum fecutus est, quibus non exiguum pondus ipsa brevitas addit. Scimus ex Historia Ecclesiastica Nicephori Callisti, XIV 53, exaratas ab Isidoro Pelusiota fuisse Epistolarum fere decem chiliadas seu decem millia: solas illas, quibus Divinæ Paginæ locos exposuit, ter mille fuisse testatur Suidas in *Isidoro Peluf.* Multa ergo millia vel periisse, vel inter sepultas bibliothecarum membranas delitescere necesse est.

IVO CARNOTENSIS Episcopus, natus in agro Bellovacensi, post annas

956.
S. Ivo Carnotensis,
vi,

viginti duos gesti Pontificatus, Carnuti A. C. 1115 res humanas reliquit. Quæ ideo distincte recenseo, ne quis Divum hunc Ivonem confundat cum S. Ivone Jurisperitorum Patrono, qui Gallus quidem & ipse, non tamen Episcopus, sed Presbyter Trecoriensis in Britannia Armorica fuit, & A. C. 1303 ad cælestè præmium emigravit. Ivo Carnotensis, præter Epistolas plurimas, Sermones de Ecclesiasticis Sacramentis, Officiis, & Festis reliquit: quorum talis character est, qualem ipsius auctoris videmus, uno vitæ actu expressum, & ab Hildeberto Cenomanensi, eorumdem temporum Episcopo, epist. 39 his verbis narratum: „ In illo castello,
„ in quo hæc acta sunt, Carnotensis
„ erat Episcopus, venerandæ vir au-
„ toritatis: sed apud sceleris auctores
„ sine auctoritate fuit auctoritas. Is in
„ spiritu contrito Hubertum conveni-
„ ens, hoc enim Pharisæorum principi
„ nomen est, primo blanditus est illi be-
„ stiæ; sed bestia rationem non admit-
„ tit: dehinc illum sacrilegii libere ar-
„ guit, obsecravit opportune, impor-
„ tune increpavit: postremo tradidit
„ eum satanæ in interitum carnis, ana-
„ thematis vinculo, quo debuit, alli-
„ gatum. In omnibus his non est aver-
„ sus furor ejus (Huberti) sed adhuc
„ ma-

„manus ejus extenta. Religiosi quo-
 „que Abbates, & consummati nomi-
 „nis Anachoretæ, ad lapidem conve-
 „nerunt, & invenerunt lapidem.“ Ta-
 lis ubique in scriptis est Ivo: magna
 ejus auctoritas, maxima mansuetudo,
 sed non minor animi firmitas, ubi opus
 est castigare. Prætermittere non de-
 beo, etsi non hujus loci est, Iwonis
 Carnotensis opus laudatissimum Decre-
 torum, quod Hugo Catalaunus in epi-
 tomen redactum græco nomine voca-
 vit *Pannomian*, a *pan* omne, & *nomos* lex,
 quasi legum omnium summam, sive le-
 gum quandam universitatem. Quod
 nomen ab aliis, fortassis quia Panormi-
 aut Panormitani peritiores, quam Græ-
 ciæ erant, in *Panormiam* ridicule defor-
 matum est. Justissimo voluminis hujus
 titulo præter D. Iwonem Trecoriensem
 Jurisconsulti etiam hunc sibi S. Iwonem
 Carnotensem adoptare Patronum pos-
 sent, per sanctum hoc par elisuri insi-
 cillum illum & strumosum versiculum:

In cœli clivo non sedet alter Ivo.

JUSTINUS MARTYR: quem anti- 927.
 qui Patres certatim collaudantes, alii ma- S. Justinus
 gnum, alii admirabilem, alii admirabilissi- M.
 mum, alii divinum appellitarunt: ut ait
 Petrus poster Halloius (*Haliox*) præf.
 in

in Vitam S. Justini Philosophi & Martyris, ex ipsis fere Divi libris perquam scite contextam: in cuius etiam vestibulo multos antiquorum leges, Justini laudatores, viros sapientissimos, & inquis illis censoribus longe potiores, qui postremis his temporibus sacra omnia profano dente arrodunt. Auditos a se philosophos, tum Pythagoricos & Platonicos, tum Stoicos & Peripateticos, in Dialogo cum Tryphone ipse memorat. Fuitque hoc invicto Christi athletæ in religionis certaminibus præsidium utilissimum, ut superbos philosophos & Christianorum simplicitatem irridentes suis armis cæderet ac debellaret, Judæosque non legis tantum libris, sed etiam firmissimis dialecticæ nodis constringeret ac irretiret. De dubiis ejus opusculis loqui hic supersedeo, quod non tam eloquentiæ alendæ, quam illis Christi hostibus oppugnandis apta sunt, qui jam pridem publice in aciem prodire desierunt. Videas in Justino Sanctu[m], Philosophum, Martyrem; in Sancto sinceritatem, in Philosopho soliditatem, in Martyre religionem.

928.
Lactan-
tius.

LACTANTIUS FIRMIANUS.
Rheticæ artis præcepta publice in Bitynia tradidit, ut ipse de se profite-
tur.

tur. Famam autem eloquentiae doctrinaeque tantam adeptus est, ut Constantinus Magnus filium ei suum Crispum literis instituendum commiserit. Semper tamen ipse ita opes contempnit, atque adeo se intra paupertatem continuit, ut plerumque etiam necessariis egeret. Joannes Ludovicus Vives, acer judex, rei tamen evidentia coactus, l. III de Tradend. Disciplinis fatetur: *Christianorum omnium facundissimus est Laetantius: sonum habet plane Ciceronianum, praeterquam in paucis.* Idemque, Commentar. in libros Augustini de Civ. DEI, ad XVIII 23 inquit: *Laetantius Firmianus, secutus Arnobii praeceptoris sui exemplum, contra gentes septem Volumina conscripsit elegantissima & acutissima: nec est ullus inter Christianos Scriptores tam vicinus dictioni Tulliana.* Daniel quoque Heinlius, magnum apud Batavos nomen, orat. 3 diffusam & cum solo Cicerone conferendam Firmiani eloquentiam laudat. Quod jam olim D. Hieronymus, ipse Ciceronianus, nequaquam inobservatum reliquit, cum ad Paulinum epist. 13 scripsit: *Laetantius, quasi quidam fuius eloquentia Tulliana.*

LAURENTIUS JUSTINIANUS, 929.
primus Venetorum Patriarcha: qui S. Lauren-
cum ubique sublimissimis christianæ per- tius Justi-
fectio- nianus.

fectionis documentis abundet, semper tamen eum ex animo dicere, & in se ipso sentire, quæ docet, manifeste apparet. Bernardus Justinianus Vitæ c. 4 de viro sancto ita narrat: „Prædicatio-
„nis ad populum facultas ei defuit, quia
„nec sp̄itu, nec lateribus esset bene
„firmis. Sed nihil fuit suavius, quam
„sedentem inter fratres audire.“ Cle-
tus Artusius, Canonicorum S. Georgii
in Alga Rector Generalis, in epist. ad
Joannem Card. Delphinum, enumera-
tis D. Patriarchæ libris, inter quos &
XL Sermones, hunc in modum pergit:
„Quæ quidem omnia tam copiose, &
„graviter; tam ornate, & eleganter
„perscripsit, ut non Hetruscam, aut
„Italicam; non Romanam, aut Atti-
„cam; sed divinam tantummodo elo-
„quentiam redolere videantur.“ Quam-
vis enim, ut ipsa Ecclesia in ejus Offi-
cio aperire non dubitavit, grammatica
pæne rudis ad scribendum accesserit: ani-
mi tamen ardore incensus, & alienæ
salutis desiderio stimulatus, etiam styli
difficultatem sensim perrupit. Certe
Thomas de Trugillo in Thesauro Con-
cionat. I 3 digna se verba invenire ne-
gat, quibus Justiniani eloquentiam pro-
sequatur: quam cum Augustini & Cy-
priani facundiæ, ac Hieronymi elegan-
tia parem fecisset, omnibus imitandam
pro-

proponit: *Ad concionandum accommodatus adeo est, ut nil præterea desiderandum esse videatur.*

LEO MAGNUS, Pontifex Romanus, primus hoc nomine. In Epistolis Decretalibus est pontificia dignitatis & a Christo traditæ majestatis apprime retinens. Non sunt ejus octagesima octava, & nonagesima sexta: quarum illa ad Germaniæ Galliæque Episcopos, hæc ad Episcopos & Presbyteros intra Tertiam data est, videlicet intra Turonensem, quæ tum erat Tertia Lugdunensis. Liber de Conflictu Vitiorum & Virtutum Isidoro Hispanensi reddendus est: de quo paulo ante n. 925. In Sermonibus vero tantum est ingenii & magnitudinis, ut novo, sed vero nomine, a Ven. Stephano Dolensi in Medulla Tritici P. IV c. ult. *Divinus Rhetor* sit appellatus. Emmanuel Thesaurus, mensur ille diligentissimus numerorum & universæ lapidariæ concinnitatis, in Idea Argutæ Dictionis c. 4 inquit: „Sanctus Leo, „non verbis minus quam factis magnum, periodos illas suas stylo sublimes, argumento profundas, veluti torno expolit, ut non alia cathedra nisi throni pontificii, nec alia lauru nisi triplicis regni dignæ videoantur.“

^{930.}
S. Leo M.

Hoc proprium ei decus est, numerosa oratio, & sententiarum verborumque in se recidens orbis: quod adeo expli-
cate ac rotunde facit, ut hoc solo a Patribus aliis omnibus facile dignosca-
tur. Argumento etiam sunt Sermo
quintus & octavus de Quadragesima,
qui cum Augustini Sermonibus de Tem-
pore permixti sunt, sed primo pæne
obtutu deprehenduntur: sonus ipse ac
verborum circuitus Leonem tam aper-
te prodit, ut, non dico mens, sed ne
auris quidem dubitare possit. Quod in
hoc sermonis ambitu & artificiosa cir-
cumscriptione peccari potest, ne nimi-
um detur auribus, & oratio ipsa copia
obscuretur; feliciter evitavit Leonis
prudentia, de quo Carolus Regius in
Oratore Christiano IV 8, ubi de græ-
cis latinisque Patribus loquens ait:
*Quanquam compositio esset interdum elabora-
tior, talis tamen erat, ut appareret, verba
seruire, non dominari: quod facile in S.
Leonis maiestate intelligitur.* Et nuper
Ludovicus Antonius Muratorius, de
Dignitate Eloq. Popularis, c. 8 scripsit:
*Augustus est Leonis Pontificis Maximi elo-
quentia: præclara arte in circuitus suæ du-
cuntur illius sententiae: atamen vim intelli-
gendi popularem non excedit, non op-
primit.*

LEO SAPIENS, seu PHILOSÖ.
 PHUS, Orientis Imperator. Novum ^{931.} Leo Imp.
 & illustre nomen inter Scriptores Ec- ^{titor.}
 clesiasticos, quibus majore sua & ipso-
 rum gloria jungeretur, nisi moribus in-
 quinatis & impiis memoriam sui in per-
 petuum commaculasset. Sapientis &
 Philosophi nomen ambiit magis, quam
 implevit: nam & vitam a veræ sapien-
 tiæ regula remotam fuisse longissime,
 inter omnes constat; & profanæ quo-
 que philosophiæ notitia tinctus magis,
 quam excultus fuit. Simili fastu sacra
 etiam rostra conscendit, plausum & au-
 ram popularem captans, non solida
 animorum emolumenta. Negari ta-
 men non potest, etsi ventosum ac de-
 clamatorium aliquid in oratione senti-
 tur, multa esse præclara, & Augusti
 Oratoris persona ac splendore digna.
 Sed generatim plus pompæ & amplitu-
 dinis, quam unctionis & spiritus cæ-
 lestis apparet. Opus Basilicorum, ma-
 gnum & pretiosum, quod a librorum
 numero Hexecontabiblon appellatur, ad
 forum civile pertinet.

LUDOLPHUS A SAXONIA, ^{932.}
 quem alii minus recte Landolphum scri- ^{Ludol-}
 bunt. Miram vitæ ejus vicissitudinem, plus Sa-
 simulque styli genus, paucis constrinxit ^{xo.}
 in Bibliotheca Sancta Sixtus Senensis l.

IV in Ludolpho: „ Natione Saxo, ex
 „ Ordine Prædicatorum, post trigesi-
 „ mum suæ professionis annum ad in-
 „ stituta Carthusianorum translatus, &
 „ in Monasterio Argentinensi receptus,
 „ vir in sanctis voluminibus studiosissi-
 „ mus, professione Scholaisticus, ser-
 „ mone simplex, & servidis quibusdam
 „ affectibus amabilis. “ Hoc de Vita
 Christi intellige: nam Commentaria in
 Psalmos aliena sunt, solumque colli-
 gendi laborem Ludolpho debent: qui
 non solum ex Augustino, Hieronymo,
 Cassiodoro; sed etiam e Petro Lombar-
 do, optimas quasque sententias corro-
 gavit, lectori per compendia prope-
 ranti serviens.

933.
Lupus
Servatus.

LUPUS SERVATUS, Abbas Fer-
 rariensis seu Bethlehemeticus in Gallijs.
 In Epistolarum volumine (nam cetera
 sunt polemica) ipsa epistola prima indi-
 cat, quanto studio in Ciceronem fer-
 retur; non dico, quantum in ejus imi-
 tatione profecerit: sed sunt in eo certe
 illustres sententiæ non paucæ, usui fu-
 turæ feligentibus.

934.
Lyranus.

LYRANUS, Seraphici Ordinis Mi-
 norum S. P. Francisci clarissimum lu-
 men. De Nicolao Lyrano sibi vendi-
 cando, ut olim de Homero, non ur-
 bes

bes tantum, sed gentes certarunt. Flan-
dri eum sibi, Batavi, Brabantini, An-
gli, & Galli afferere popularem conati
sunt. Gallis victoriam defert, & Ly-
ram Nicolai patriam Normanniæ non
obscure ascribit illud ejus epitaphium
seu elogium:

*Lyra, brevis vicus Normanna in gen-
te celebris,*

Prima mibi vitæ janua forsque fuit.

Doctoris hujus Commentariis in Divi-
nam Paginam universam tanto plus tri-
buo, quod a Judæis parentibus ortus,
hebraicæ linguae & arcanorum Talmu-
dicorum peritissimus, de vero & lite-
rali sensu, deque veterum explicatione
judicare longe aliter potuit, quam qui-
bus hæc præsidia vel usquequaque de-
fuerunt, vel certe multo tenuius ad-
fuerunt. Quam plurima in Scripturis
Sacris interpretandis ignorarentur, nisi
a Lyrano consignata & conservata in
Christianorum possessionem veluti quæ-
dam pretiosa hæreditas ex Hebræorum
thesauris venissent. Itaque, si Lyranum
inter ac Tostatum instituenda compara-
tio sit, quorum ille toto seculo hunc an-
tecessit, mihi quidem Lyranus permagno
intervallo & multis partibus esse prior vi-
detur: est enim & commoditate ma-

(Q 3)

gni-

gnitudinis, & compendio styli, & soliditate ex se, & hausta a majoribus eruditione, multo potior Abulensi Lyranus. In Talmudicis tantum meminisse oportet, non omnia promiscue recipienda, sed cum delectu: multa enim ex eo genere ita Lyranus ipse proponit, ut norit lector, non ut approbet; certe ipse non approbat, sed, quod saepe ab Hieronymo quoque factum in Commentariis, sibi tradita rursus tradit, auctoritate ac fide sua non interposita.

935.
S. Macarii. sancti Antonii sanctus discipulus, prodigiis clarus. Tanta etiam in puer severitas inerat, ut adolescens appellaretur *Pædaringeron*, id est, puer senex. De ejus Homiliis quinquaginta merito. Joannes Picus, Senatus Parisiensis Praeses, qui eas latinitate donavit, in prefat. inquit: *Afflitum ac mæreniem valde solantur animum, eumque a nugis futilibus bujus mundi traducunt ad cælum.* Omnia succo plena, sed succo subamaro, e quo innata auctori severitas veluti absinthium deprehenditur. Cautum Homiliae hæ lectorem poscunt, propterea quod nonnulla occurrunt in speciem duriora, & benignam interpretationem desiderantia. Regula vero, Monachis praescripta, quæ triginta capitibus circum-

scri-

scribitur, Macarii junioris est, cognomento Alexandrini: nam, etsi ambo sunt Aegyptii, discriminis tamen gratia juniori urbis nomen, seniori gentis est assignatum.

MARCUS EREMITA, dictus Ascetes: de quo hæc habet doctissimus Bellarminus, cui & ego subscribo: „Leonem VI Imperatorem, saucium curavit, & decennium vitæ illi prædictit, ut Zonaras & alii græci historici narrant. Scripsit multa Opuscula Theologica, quæ extant in Bibliotheca SS Patrum . . . Sed ea opera ita scatent erroribus contra fidem, ut suspicari cogar, vel ab hæreticis nostri temporis (addo, aut aliis antiquioribus) conficta, aut valde depravata fuisse: neque alia de causa hujus auctoris memini, nisi ut admonerem, cautissime esse legendum: non enim desunt alii auctores pii, qui sine tali periculo legi possunt.“ Bell. de Scriptor. Eccl. ad Seculum X.

936.
Marcus
Eremita.

MARTINUS BRACARENSIS Episcopus. Præter Collectionem Canonum, quæ in Tomis Conciliorum extat, suas de Virtutibus Sententias, seu Formulam Vitæ honestæ, ad Regem (Q4)

937.
S. Marti-
nus Braca-
rensis.

gem Gallæciæ tam nervoso scribendi genere exaravit, ut a quibusdam Senecæ liber existimatus sit. Certe ingenio & stricturis non minus, quam ille Romanorum Philosophus abundat. Sententias quoque Aegyptiorum Patrum latine reddidit, magnis illis divinæ sapientiæ imaginibus plenas, quas nobilis simplicitas, & verus se neglecto amor DEI inspirant.

938.
SS. Maxi-
mi duo.

MAXIMI duo, Græcus, & Latinus, uterque in Divorum album relatus. MAXIMUS MONACHUS, Græcis *Homologetes*, quo nomine ab eis nostrum *Confessor* exprimitur: etsi deinde verum Martyrium gloria pro Christo morte complevit. Ejus Capitula, seu de virtutibus & vitiis documenta, Centurias quinque efficiunt; præter Ascetica alia, ad mores præclara. De cæteris, quæ contra hæreseon patronos edidit, non est hic dicendi locus. Insigne D. Maximo laudis monumentum adornavit carmine græco Constantinus Manasses in *Synopsi Chronica*: ubi libertate poetica eum vocat auream tubam, lingua venusta præditum, orthodoxæ veritatis Nilum auro fluentem, linguam melleam, nectaris fontem. MAXIMUS TAURINENSIS Episcopus posteritati reliquit non paucas Ho-
mi-

milias, quarum tamen aliquæ inter Ambrosii Sermones verbis totidem reperiuntur. singillatim has recensui supra in Ambrosio, libri hujus n. 824. Stylus Ambrosiano non absimilis, ut facile decipi editores potuerint: gaudet enim Taurinensis perinde, ut Mediolanensis, crebris argutiis, & sententiarum illa densitate, quæ legentis attentionem exigit semper, interdum & fatigat. Non nihil dilutior Maximus, ideoque facilior, & ab obscuritate remotior.

MELITO SARDENSIS Episcopus, unus e vetustissimis Ecclesiæ heroi-
bus, qui pro ejus honore ac veritate
contra inimicos ingenio & calamo de-
certarunt. Christianam religionem Apo-
logia propugnavit, quæ inter Opuscu-
la ejus excellit. Elegans & oratorium
Melitonis ingenium Tertullianus lauda-
vit, cum quo & Hieronymus l. de
Scriptor. Eccl. consentit. Liber de
Transitu B. V. a Gelasio P. M. inter
apocryphos rejectus, & inusto Theolo-
gorum stigmate infamis, a Melitonis
sanctitate ac scientia longissime abest.

METAPHRastes. Auctoritatem 940.
celeberrimi: Simeonis Metaphraſtæ ut Meta-
infringerent ii, quibus Vitæ Sancto-
rum propter admiranda virtutum exem-
pla & prodigia molestæ sunt, duo po-
(Q5) tissi-

tissimum egerunt. Primum quidem Histro-
rici hujus ætatem quam longissime distu-
lerunt, & ad medium usque seculum
XI rejecerunt: infra illud enim detru-
di non poterat, quem Michael Psellus
soluta ligataque oratione tam cumulate
laudavit. Sed ostendit Bollandus, Me-
taphraſtæ ætatem temporibus Leonis
Philosophi, ejusque filii Constantini,
proinde seculo X alligandam esse. Al-
terum fuit, ut eum veluti plebejum
quendam ludimagistrum, & miserum
ſarcinatorem, fabulas ac declamatio-
nes infercipientem, eruditorum risui &
ludibriis propinarent. Atqui nescire
non poterant, quantus vir suo seculo
Simeon Metaphrastes fuerit; illustrissi-
mo genere Patricius, Princeps Secreta-
riorum, Logotheta inter summos re-
glæ Cl. administros conspicuus. Ad
hac, vir, integerrimis moribus, & eo-
rum ſanctimoniazemulus, quorum res
gestas suis voluminibus consignabat.
Eius apud DEUM merita, præter alia
multa, illud etiam demonstrat, quod
eius ſacrum corpus & ſepulcrum per
multos dies odorem ſuaviflum exha-
lavit, donec aliud cadaver juxta virum
ſanctum homines improbi humarunt:
eo enim contemptu offensus Dominus,
odoris illius prodigioli beneficio indi-
gnos privavit. Narrat hæc Psellus,
proxim-

proximi a Metaphraste seculi scriptor,
in ejus *Encomio*, ipso fine. In eodem
Encomio Sancti Simeonis Metaphraستæ ita
de eo Psellus: „Hic enim vir non so-
„lum erat ornatus eloquentia, &
„mentem habebat promptissimam ad gi-
„gnenda præclara cogitata, & linguam
„tanquam Nili fluentum, non post lon-
„gum temporis curriculum, sed quo-
„tidie rivis scatentem eloquentiæ, &
„inundantem opportunissime: sed &
„morum temperatione, & quod om-
„nes virtutes erat complexus, & quod
„erat exemplum iis, qui volebant ho-
„neste & moderate vivere, gloriam in-
„signem sibi comparaverat.“ Nomi-
natim de veritate historica ibidem Psel-
lus: *Veritati autem adberet & a falso*
alienæ narrationi non per ar-
tem res mutans, sed quod unicuique rei &
personæ incidenti conveniebat, interpretans.
Joannes Bollandus præf. general, in
Vitas SS. c. 1 § 3 ait: „Magno Ecclesiæ
Catholicæ emolumento opera Meta-
phrastæ, aut certe quas sub ejus no-
mine reperit græcas Sanctorum histo-
rias, latine a Petro Francisco Zino,
Gentiano Herveto, Guilielmo Sir-
leto verti curavit Aloysius Lipoma-
nus Episcopus Veronensis: quarum
multas in suum Opus Surius transtu-
lit.“ Quanto in pretio antiquis fue-
rit,

rit, ex eo conjicias, quod ejus Vitas
ab Ecclesia Græca publice leguntur,
& non solum apud Bessarionem & Joan-
nem Methonensem, sed etiam in Gen-
nadii PC. defensione Concilii Florenti-
ni, imo in ipso hoc Concilio, tam a
Latinis, quam a Græcis celebrantur.
Animadvero tria, quæ contra Meta-
phrastæ fidem opponi queunt, Tempo-
ra, Oratiunculæ, Prodigia. I. Non
potest, inquiet aliquis, Vitas has om-
nes scripsisse idem auctor, cum toties
eorundem temporum æqualem se fuisse
profiteatur, ut unius seculi ætate capi
nequeat. Sed respondit olim Purpura-
tus Baronius, & admonuit, non om-
nia unius Metaphrastæ opus esse, sed
antiquorum Divorum historiam, ut a
quoque scripta erat, ab ipso sumptam,
& ubi visum est, expolitam esse: quem-
admodum res gestas, qui ætate inferio-
res sunt, non utique a Metaphraste
profectas, sed ab aliis quibusdam addi-
tas, res ipsa docet. II. Oratiunculas
aliqui animo ferunt iniquiore, scripto-
ris arbitratu excogitatas, non ex histo-
ria fundo enatas. De sermonibus his
apte preseque Joannes Bollandus l. d.
ait: „Colloquia Martyrum cum perse-
„cutoribus unde constat habita non es-
„se? Amplificari ea sane ad legentium
„utilitatem ac voluptatem: quis jure
„id

,, id reprehendat? an est quisquam,
,, qui id non permittat Historico? Li-
,, vio ceterisque licet ducum orationes,
,, suos ad prælium adhortantium, con-
,, cinnare: sacro scriptori non licebit
,, mysteria nostræ religionis gentilibus
,, tradita, ipsorumque confutatas super-
,, stitiones, explicatius proponere?“

III. At illa miraculorum copia offendit Criticos, tum præsertim, cum Patres scriptoresve alii antiquiores, de iisdem Cælitibus mentionem inferentes, suo ista silentio redarguere videntur. Loquatur denuo Hagiographorum primipilus, Joannes Bollandus, vir ille in hoc historiæ genere tantopere exercitatus: „Magno numero conversos ad fidem nostram, visis quæ Sancti patrarent miraculis, nunquam equidem sum admiratus: qui enim alioqui tot ac tantæ provinciæ tantillo tempore subjici Christo potuissent?“ Frequenter (Patres, aliquique veteres) tradunt, multa & magna, ad Sanctorum vel testandam ac munerandam sanctitatem, vel dicta confirmanda, edita esse divina virtute miracula, neque ullum tamen commemorant. At si quis ex professo Sancti cuiuspiam historiam scribat, nihil eum præterire consulto fas est, quod sit ab eo dictum aut factum præclare, aut , ejus

„ejus caussa suscepsum a mortalibus,
„aut denique patratum a DEO.“ Bol-
landus in dicta præf. gener. ad Abbatem
Lætiensem, c. i § 3.

941.
S. Metho-
dilus M.

METHODIUS MARTYR. San-
ctus hic Episcopus, quam deinde veri-
tatem suo sanguine consignaturus erat,
stylo defendit contra Origenem & Por-
phyrium, maxima recte credentium ap-
probatione. Nitida & composita elo-
quentia virum fuisse docent Sermones
& librorum fragmenta, quæ supersunt.
Ex iis est dissertatio de Libero Arbi-
trio, cuius inscriptio falsa de *Animæ*
Exitu vide ne post magnos viros tibi
quoque imponat: decepit enim eos,
sive primi interpretis, sive librarii cu-
jusdam insciti culpa, vocabulum græ-
cum in fronte positum, *Autexusion*,
quod cum liberam voluntatem significet,
nescio quomodo ad Exitum *Animæ* sen-
su penitus everso detortum est.

942.
Minutius
Felix.

MINUTIUS FELIX, disertissimus
Orator & Jurisconsultus Romanus.
Suam christianæ veritatis defensionem
inscripsit *Octrivium*, quia contra Cæci-
lium deorum veterum clientem dispu-
tat Octavius Christianus, & futile pro-
fanorum argumenta dissolvit. Est qui-
dem libellus hic totus e *Polemiconum* fa-
milia,

milia, e quo tamen multa ad mores & Sacrae Eloquentiae usum vigilans lector seponet; ut e Tertulliani Apologetico, Institutionibus Divinis Laetantii, Augustini libris de Civitate DEI, & aliis, qui non siccis & nudis argumentis pugnant, sed ornatim & motum cum decoro & ingenio addunt. Minutum inter clarissimos facundia numerat facundus Eucherius in Epist. sive Parænesi ad Valerianum. Et fuit profecto caussæ divinæ patronus optimus, atque, ut a Jeremia Drexelio in Prodromo c. 3 § 30 dicitur, *rei christianæ magnus propugnator.* Cui pleraque conveniunt, a M. Tullio Cicerone l. de Claris Oratoribus in Demosthene commendata: nihil enim acute inveniri potest in hac nostra caussa, nihil, ut ita dicam, subdole, quod ille non viderit; nihil subtiliter dici, nihil pressus, nihil contra enucleate ita, ut fieri aliquid possit limatus; nihil vero etiam grande, nihil incitatum, nihil ornatum vel verborum gravitate, vel sententiarum, quo quidquam esset elatius.

NICEPHORUS CALLISTUS Hi-
storiam a Christo nato usque ad mor-
tem Phocæ Imperatoris seu initium Se-
culi VII continuavit libris XVIII. Ce-
terorum V librorum a principio Heraclii
us.

943.
Nicepho-
rus Calli-
stus.

usque ad mortem Leonis VI, quod est spatium trium seculorum, sola epitome ad nos pervenit. Bonum hunc & industrium virum aciores quidam Crjtici vehementer exagitant, neque historicum esse, sed fabulosum nugatorem dicunt. Reperias apud eum, non nego, inania & falsa non pauca: quapropter non est indulgenti credulaque aure aut animo accipiendus. Sed & vera multo plura falsis narrat, & si nihil aliud, hoc certe in ejus volumine pretiosum est, quod multa nobis ex aucttoribus illis transmisit, qui temporum cursu & exemplarium paucitate defluxerunt. Quæ cum soli Nicephoro debeamus, gratos esse potius pro beneficio, quam ob qualemcumque ejus negligentiam querulos & malevolos par est. Separandi ab hoc Nicephoro sunt alii duo, qui & ipsi in argumento historico elaborarunt. Eorum prior est D. Nicephorus Patriarcha CP. qui Historiæ Breviarium a nece Mauritii usque ad Irenen ejusque filium Constantinum produxit, & Chronogiam Tripartitam e viris principibus Hebræorum, Græcorum, & Romanorum digessit. Posterior est Nicephorus Gregoras, libris XI complexus, quæ a capta per Balduinum & Francos Constantinopoli usque ad mortem Andronici Junioris in illo im-

imperio per CL serme annos contigere.

NICOLAUS CABASILAS, Ar- 944.
chiepiscopus Thessalonicensis, de Vita ^{Nicolaus}
in Christo sex libros edidit, in quibus ^{Cabasilas.}
potissimum de sacro fonte christianæ
legis, extrema unctione, & SS Eucha-
ristia doçet. Sana quidem in his, &
utilia plurima: in Liturgia tamen virus
ex omni parte se prodit, & auctor
schismaticum se non obscure ostendit,
qui & in quæstione de Divino Spiritu
a Patre Filioque procedente contra La-
tinorum aperte pugnavit. Oratio in tres
Theologos, ut Græci loquuntur, nimi-
rum in Divos Basilium, Gregorium Na-
zianzenum, & Chrysostomum, in iura
Cabasilæ male traducta est, cum sit
Philothœi P. C.

NILUS ABBAS, vir nobilissimus, 945.
quondam urbis Constantinopolitanæ ^{S. Nilus}
supremus gubernator, deinde Mona- ^{Abbas.}
thus, & suorum in illa solitudine An-
tistes. Documenta morum Parænetica,
& de Oratione ad DEUM, scripsit
quam plurima. Magnus etiam est nu-
merus Epistolarum, regendis moribus
aptissimarum, sed multo etiam magis
contra hostes Domini ita certantium,
quasi vatis instar jam tum nostrorum
temporum dimicationes ac discrimina
prospexit. Veluti christianus Cato
Lib. XL. (R) est,

est, serius & rigidus Censor, suis ipsius moribus vitia improbans & condemnans; factisque ostendens, posse fieri, quæ exigit. Quis illo gravior in laudandis virtutibus? acerbior in vituperandis vitiis? in sententiis profundior? in docendo edisterendoque illustrior?

^{946.}
S. Odilo.

ODILO, Abbas Cluniacensium, quibus per dimidium omnino seculum, & quod exurrit, sanctissime præfuit. Præter alia, ad forum hoc nostrum non pertinentia, Sermones ejus leguntur: in quibus, siquid eloquentiae deest, cælum supplevit persuadendi vim & auctoritatem copiosis prodigiis & beneficiis, a B. Petro Damiani in S. Odilonis Vita commemoratis. Ipse quidem pro sua modestia in epistola ad Fulbertum Carnotensem Episcopum, quæ post Fulberti Epistolas ad calcem extat, numero centesima octava, de se scribit: *Quomodo debet docere indoctus?* Sed nobis vicissim dicere cum Fulberto epist. 70 licet: *Vere vivit hic & fulgurat illa fortis & speciosa caritas, quæ secundum Apostolum patiens est, benigna est, & cuius vigor nunquam excidit.* Quod ille de Odilonis vita, hoc ego de ejusdem Sermonibus.

^{947.}
Odones
duo.

ODONES duo, Cameracensis, & Cluniacensis, ODO ex Abbe Tor-

na-

Bacensi Episcopus CAMERACENSIS. Opusculorum ejus MSS. quædam in religiosis Belgii Bibliothecis latere, compertum est: ex iis, quæ in luce versantur, optimum mihi visum est illud, quo Canonem Missæ exponit; utile Sacerdotibus ipsis, atque etiam populo, si de sanctissimo arcano rite doceatur; scriptum eo candore, ordine, & perspicuitate, quibus docentem esse præditum convenit. ODO CLUNIACENSIS, Abbas Sanctus, cuius Sermones pauculi apparent; eorumque primus, in Cathedra S. Petri, e duobus D. Leonis Magni conslatus est. In ceteris venustrum ingenium effulget. Atque utinam superercent omnes! nam & multos ab eo Sermones esse scriptos, & libentissime auditos constat. Hic ipse S. Odo suos Moralium in Jobum libros XXXV contraxit e præclaro & ingenti Operè totidem librorum D. Gregorii Magni: quos Simon Affligeniensis in unicum librum seu perbrevem epitomen compigit. Sed & ipsa Odonis epitome talis est, non ut succum ex omnibus Gregorii partibus exprimat & retineat, sed ut quædam ad verbum tota exhibeat, cetera vero multo plura simpliciter omittat.

OECUMENIUS, vir optimorum Patrum lectione subactus, magni judi-

(R. 2.)

622

948-
Oecume-
nius.

cii in excerptendo , maximæ sedulitatis in conscribendo. Catenam opportunissimam connexuit e dictis Græcorum Ecclesiæ Patrum in Acta Apostolorum, & Epistolas tum Paulinas, tum Canonicas ceteras. Similes ejus Catena in alios utriusque Instrumenti Libros Divinos irreparabili damno reipublicæ sacræ interierunt. Catena tamen in Apocalypsin non est Oecumenii , sed Areæ Cæfareensis.

949.
Olympio-
dorus.

OLYMPIODORUS, e philosopho sive Monachus, sive Clericus, sejungendus est ab Olympiodoro alio seniore , qui Thebæus fuit : sed istius non nisi pauca quædam fragmenta in Photii Myriobiblio tanquam ex antiquo ædificio rudera visuntur. Ille in Ecclesiasten commentatus est , quam breviter, tam solide ac nervose. Ejusdem esse creditur a pluribus Catena in Jobum , nisi tamen Nicetæ Heracleensis opus est : egregia auctoris diligentia in congerendo , par sapientia in disponendo agnoscitur.

950.
Oretieis.

ORESIESIS iisdem cum Pachomio temporibus vixit, eodem in divinis spiritu afflatus sanctimoniac cursum peregit. Jam metæ propinquus, vivendi regulas tanquam cælesti testamentum fratribus reliquit : in quo purissima primorum seculorum integritas & illibata simplicitas

tas apparet: quas etiam ostendit libel-
lus de Cogitationibus Sanctorum, ei-
dem tribui solitus.

ORIGENES, dictus a laboris assi-
duitate Adamantius & Chalcénterus,
qui adamantis instar frangi non posset,
& visceribus aheneis præditus esse vide-
retur. Amplissimum ejus elogium con-
cinnavit Vincentius Lirinensis, Com-
monitorii Parte I c. 23, ubi inter alia
inquit: „Tanta etiam vis ingenii, tam
„profundi, tam acris, tam elegantis,
„ut omnes pæne multum longeque su-
„peraret: tanta doctrinæ ac totius
„eruditionis magnificentia, ut pauca
„forent divinæ, pæne fortasse nulla
„humanæ philosophiæ, quæ non peni-
„tus assequeretur: cuius scientiæ cum
„Græca concederent, Hebræa quoque
„elaborata sunt. Eloquentiam vero quid
„memorem, cuius fuit tam amœna, tam la-
„etea, tam dulcis oratio, ut mihi ex ore
„ipsius non tam verba, quam mella
„quædam fluxisse videantur?
„Nemo unquam magistrorum fuit, qui
„pluribus divinæ legis uteretur exem-
„plis. Sed, credo, pauca conscripsit?
„Nemo mortalium plura: ut mihi sua
„omnia non solum non perlegi, sed ne
„inveniri quidem posse videantur. Cui
„ne quidquam ad scientiæ instrumenta
„deesset, etiam plenitudo exabundavit
(R 3) „æta-

951.
Origenes.

„atatis.“ His aut similibus argumen-
 tis nixum esse crediderim virum pluri-
 mæ lectionis, Hieremiam Drexelium,
 cum Trismegisti II 2 hanc sententiam
 protulit: *Quod si censura sit ingeniorum,*
iis ego facile crediderim, quibus persuasum
est, neminem ullum Origenis aut Augustini
ingenio par unquam habuisse. Quod qui-
 dem de sacris tantum Scriptoribus dictum
 esse interpretor. De Origenis errori-
 bus multi multa: sapienter & moderate
 Vincentius Lirinensis l. d. „Sed dicet
 „aliquis, corruptos esse Origenis li-
 „bros. Non resisto: quin potius &
 „malo. Nam id a quibusdam & tradi-
 „tum, & scriptum est, non catholicis
 „tantum, sed etiam hereticis. Sed
 „illud est, quod nunc debemus adver-
 „tere, et si non ipsum, libros tamen
 „sub nomine suo editos, magnæ esse
 „tentationi: qui multis blasphemiarum
 „vulneribus scantentes, non ut alieni,
 „sed quasi sui, & leguntur, & aman-
 „tur.“ Manifestum & exploratum est,
 Origenis volumina multis erroribus in-
 fecta esse, iisque non tantum Platoni-
 cis, aliisve philosophicis, & paradoxis;
 sed vere ac proprio hereticis: quamob-
 rem passim a SS. Patribus, Pontifici-
 bus Maximis, & Conciliis, libri ejus
 damnati; imo & ab Imperatore Justi-
 piano Edicto bene longo, & ad id

unum condito, proscripti sunt. Equidem Origenes ipse, cum viveret, amoliri a se conatus infamiam, culpam in æmulos & inimicos avertit, qui prævæ doctrinæ veneno sua volumina fœdassent & corrupissent. Incredibile tamen est, errores tam multos, tam varios, tam constanter, aliunde omnes nulla ipsius culpa in tot ejus scripta infusos esse. Atque ideo non doctrina solum Origenis, sed ipsa etiam persona, pluribus post mortem seculis, ecclesiasticis decretis publicis devota, dirisque percussa est. Verum nos hoc loco de libris, non de homine disputamus. Nec libri in Jobum, nec in eundem Homiliæ, ab Origene scriptæ sunt; sed latinum potius auctorem habere videntur, eumque lue Ariana correptum. Sic & in Cantica, præter verum Origenis Commentarium, in prima duo Capita opusculum extat, Origenis ingenio & eloquentia dignum, sed quod a Latinorum aliquo profectum existimatur. Incertæ sunt Homiliæ novem in Psalmum XXXVI, XXXVII, & XXXVIII. Lamentum seu Threni, a Gelasio in apocryphorum ordinem redacti, non sunt Origenis. Neque omnes Homiliæ in Legem Novam vere ipsius nomine insigniuntur: quæ minutius persequi non est operæ pretium, cum auctoritas li-

(R 4) bro-

brorum Origenis propter tot errores
alioqui sit infirmior. Divi tantum Am-
broſii ſingularem animadverſionem ſub-
jicio, l. IX Epifolarum ſcribentis, Co-
dicem Novæ Legis diſſicilem habere in-
terpretationem, cum ipſe Origenes longe
minor ſit in Novo, quam in Veteri Teſta-
mento. De numero ficto librorum Ori-
genis ſatis dictum n. 817 & 820 hujus
ipſius libri XI.

952. S. Pacho-
mius. **PACHOMIUS**, prodigium ſolitu-
dinis. Ejus Regulam habemus, & Mo-
nita de Perfectione Christiana. Illam
cæleſtis genius dictavit, iſta homo cæle-
ſibus geniis ſimillimus ſcripsit,

953. S. Pacia-
nus. **PACIANUS**, Barcinonensis Epi-
ſcopus, veræ pœnitentiæ normam po-
ſteritati reliquit. Incitata illi, & gra-
vis, & vehemens oratio; quippe quem
non ingenii tantum vis, ſed fratum
pereuntium amor, ac cæleſtis quidam
dolor ſcribentem incendit,

954. Patchasii
duo. **PASCHASHI** duo, Cardinalis, &
Abbas. **PASCHASIUS CARDINA-
LIS**, Spiritus Divini propugnator &
vindex præcipuus: Sicut nemo unquam
Sanctissimi hujus Spiritus laudes coram
universa Ecclesia in unum collecta uber-
ius & solidius viva voce prædicavit,
quam

quam D. Anselmus Cantuariensis Episcopus in Concilio Barenſi; ita nemo scriptis, quam S. Paschasius Cardinalis in libris de Spiritu Sancto, quos ipſe Gregorius Magnus in Dialogis elogia honoravit. PASCHASIUS RATER-
TUS, sive RADBERTUS, Abbas Corbejensis, non in Saxonia, sed in Gallia, Liber de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini omnibus illis crucem figit, & silentium æternum imponit, qui veram Christi præsentiam in sacrosancto illo mysterio inficiantur. Commentarii in Matthæum ex eorum sunt genere, qui vel toti, vel potissimum alieni sunt; quod ipſe modestissime indicat in extremo libro III, & res ipsa docet, si hoc ejus Opus cum Patribus antiquioribus conseratur. Sicui fortassis ad Virgines DEO sacras dicendum sit sæpius, magno usui erunt libri III in Psalmum XLIV, quem Paschasius Parthenoni Sæessionensi exposuit. Inter multa nihil melius scripsit libris tribus de totidem Virtutibus Theologicis, Fide, Spe, & Caritate: in quibus cum ad profundissima quæque descendat, abstrusis tamen rebus perspicuitatem feliciter impertitur.

PAULINUS NOLANUS Episco-
pus, vir nobilissimus, olim Ausonii
discipulus, a quo tantus illi amor poe-
(R 5) 955.
S. Pauli-
nus.
seos

seos instillatus est, ut multa & ipse carmina pangeret, praesenti tamen instituto haud idonea. Epistolas ejus, poetico lepore aspersas, maxime tamen gravitas & eloquentia ornant. Hieronymus ad eum scripsit, pene Tullium repraesentare in literis, seque a respondendo abstergere. Recidenda a veris Paulini Epistolis illa est, quae ad Faustum Regensem seu Rejensem in Gallia Episcopum inscribitur: nec enim utriusque tempora patiuntur, ut literarum inter eos commercium fuerit. Qui Vitem D. Ambrosii scripsit, Paulinus alius est a Nolano.

956. PAULUS BURGENSIS. Paulus a Carthagena, ortu Hebraeus, dum D. Thomae Aquinatis volumina studiosius rimiratur, animum ad Christi sacra convertit, & in lustrali fonte sibi nomen Pauli a S. MARIA imposuit. Burgensi deinde Pontificatu, alisque in Hispania munerebus sacris & civilibus potitus, denique Patriarcha Aquilejensis renunciatus est. Ut erat hebraicis literis eruditus, alterius ante se Hebrei, Nicolai Lyrae, Commentarios in Divinam Paginam evolvit: qui cum ei minus satisfacerent, alias ipse condere, ac prioribus illis veluti opponere statuit. Ergo ad Lyrae Postillas, eo enim nomine tumocaban-

ebantur, suas adjecit, taciteque ostendit, quam multa in Lyrano tum falsa inessent, tum deessent vera. Per hoc tamen de Lyrani auctoritate nihil admodum detractum est: imo ad hæc usque tempora videmus, Lyrani testimonia sæpiissime, Burgensis emendatoris ejus perraro in ore doctorum versari; multoque plus pretii ac ponderis in illo, quam in isto esse. Aemulatio vero nequem offendat, additamenta hæc non publico usui destinavit Burgensis, sed commodo tantum Alfonsi filii, quem ante christianæ religionis aditum susceperebat. Domestica hæc diuque incognita gaza, propter viri famam ac dignitatem, in publicum deinde elata est. Nec sine injuria quisquam negaverit, tum in his supplementis, tum in Scrutinio Scripturæ, quod idem Burgensis instituit, multa docta suppetere, multa etiam pietati alendæ utilia.

PERALTUS seu PERALDUS.

Guilielmus a *Petra alta*, Viennensis in Gallia diocesenos, in sacro D. Domini ordine magnam sibi doctrinæ famam sua ætate peperit. Quidam ei mitram Lugdunensem imponunt; negant alii, quod in antiquis Pontificum Lugdunensem indicibus nomen ejus nusquam legatur. Sed sive Chorépiscopus Lugduni

957.
Peraltus.

duni fuit , sive totus is titulus est famus munus: non ideo minorem posteritatis laudem merentur sive ejus Sermones , sive cetera. Summam Virtutum & Virtiorum Antonius noster Possevinus in Apparatu Sacro , ad finem Tomi I , tit. Guilielm , perutilem appellat , & commodam coniunctionib[us]. Qui ejus latinitatem irriserunt , meminisse poterant , commune id plerisque vitium , si tamen vitium dicendum est , temporibus Peralti fuisse ; & fas erat ludibrio unius parcere , quod paucissimi evasere. Fructus nobis apponit in patina minus terfa & inelegante ; sed fructus sapidos , & succulos , & qui sanitati prosumt.

258.

Petrus
Bielensis,
Cellensis,
Chrysol-

agus , Co-
mestor ,
Damiani ,
Venerabi-

lis seu Clu-
niacensis ,

PETRI sex. PETRUS BLESEN-
SIS , seu BLÆSENSIS , a natali Galliae
oppido ad Ligerim sito cognomen tra-
xit. Bathoniensis in Anglia Archidia-
conus , nunquam tamen Archiepisco-
pus Rothomagensis fuit. Extat Episto-
larum ingens copia , Sermones , &
Opuscula , inter quæ ad usum maxime
opportuna sunt liber de Caritate DEI
& Proximi , & qui male a nonnullis ad
Cassiodorum aversus est , liber de Ami-
citia. Tria in ejus lineamentis depre-
hendo ; summam scribendi libertatem ,
nullo cuiusquam hominis , sed solo ve-
ritatis respectu ; densam , vel potius
per-

perpetuam e Sacris Literis eruditionem,
 nonnunquam & e profanis auctoribus;
 facilitatem vero tantam, quantam ne-
 mo crederet, nisi ipse in Epistolis pro-
 didisset, ubi ait, se tribus simul libra-
 triis festinantibus diversas tres literas
 dictare, &, quod de solo Cæsare legi-
 tur, eodem tempore quartas ipsum ex-
 arare. PETRUS CELLENSIS, ex
 Abbe Episcopus Carnotensis; ex epi-
 stolis D. Bernardi, Alexandri III Ro-
 mani Pontificis, Joannis Sarisberiensis,
 Nicolai Claravallensis, & Stephani Tor-
 nacensis, eruditis abunde notus. La-
 boriosum viri ingenium, deque suis la-
 boribus nec arroganter, nec tamen ab-
 jecte sentientis, ipsius verba pudent,
 unde simul & stylum agnosces, non
 semper clarissimum. Sic ergo Cellensis,
 in præfatione seu dedicatione libri de
 Panibus, ad amicissimum suum Sarisbe-
 riensem scribit: „Non itaque ut face-
 „rem mihi nomen grande, juxta no-
 „men magnorum qui gloriantur in se-
 „culari philosophia, librum istum de
 „Panibus Scripturæ Divinæ conscripsi:
 „sed de mensa Divitis, quæ divinis le-
 „ctionibus mentes peregrinorum refi-
 „cerent, fragmenta panum undecun-
 „que collecta conjunxi.
 „Comede igitur, quicunque librum le-
 „gis, panes appositos, & non corro-
 „das

, das sudores apponentis valde laborio.
„ sos. Potius pro obsequio gratia,
„ quam invidia debetur. Si præ inopia
„ librorum vel lectionum indiges quo-
„ tidiano pane, sume, & pro indultis
„ sine pretio gratias age. Si vero abun-
„ das, non habentibus pauperibus con-
„ gratulare: alioquin vel superbis de
„ tua paupertate, vel invides de nostra
„ miseratione; in alio tibi nequam, in
„ alio proximo; in alio miserabilis, in
„ alio condemnabilis. Sed times? ti-
„ bi forte times, ne scripta tua, si qua-
„ sunt, sola non videantur; mihi, ne
„ scabiosum appareat ingenium, ne ex-
„ sangue publicetur eloquium. Sed
„ neutrum, o fidelis & nimium amice,
„ formidandum est. Et primo quidem scri-
„ pturæ tuæ, si bona est, non est timen-
„ dum: nam quod bonum & pretiosum est,
„ numerositate & frequentia pannosa-
„ rum mercium nunquam fordeficit,
„ Quod si inutile est (opus
„ tuum,) non ei quæras gloriam de
„ singularitate, quod magis amputan-
„ dum est pro superfluitate. Nobis
„ quoque non est quare timeas: nam
„ fastidiosis nolo nostra ad cumulum
„ nauseæ suæ insolenter ingerere; pe-
„ tentibus vero & indigentibus vereor
„ abscondere & negare: ut enim im-
„ probitatis est, nolentibus & recusan-
„ tibus

,, tibus se inculcare : sic impietatis est,
,, volentibus & egentibus abnegare.
,, Habeat itaque volens in uno Reposi-
,, torio copiam omnium panum para-
,, tam : & potius benevolentia adjuvet
,, insufficientiam nostram , quam ingra-
,, titudine exasperet infirmitatem . “

PETRUS CHRYSOLOGUS , sanctus Ravennatum Pontifex , cuius , ut verbis loquar Ferdinandi Ughelli in Italia Sacra Vol. II , Archiepisc. Ravenn. § 22 , cuius plane aurea doctissimaque scripta cum pari sanctimonia vita seculum illud illustrarunt . Erat enim Chrysologo succincta , ubique floribus nitens , gravisque sententiis eloquentia , ita ut cuique dictioni suum videatur inesse imperium . In Chrysologi Sermonibus acumen singulare , lætum & exultans dicendi genus , verbum nullum nisi loco positum , & velut in opere tessellato constructum . Nihil solutum , nihil diffluens , sed astricta omnia brevibus numeris , certisque clausulis : nec dissimulanter his utitur , sed eodem semper modo & aperte lectoris expectationi occurrit . Si Chrysologum conferre libeat cum Chrysostomo , quoniam ab aurea facundia uterque nomen adeptus est , non sine admiratione videbimus , sub eodem nomine immensum discrimen latere . Chrysostomus numerosissima oratione in amplum verborum

borum orbem evehitur : Chrysologus periodos veluti dedita opera fugit , & dimensis ceu styli lapidarii angustiis se circumscribit. Græcus Divini Codicis verba nunquam nisi sensu proprio & literali interpretatur : Ravennas indulget ingenio , multoque libentius ad sensum accommodatitum divertit. Chrysostomus immoratur in singulis ; versat & exhaustit , quæcunque aggressus est ; non desistit ante , quam totam argumenti sui vim in clarissimo lumine collocavit ; instat voluntati , figurarum impetu adjutus urget , & propositum tanta varietate inculcat , ut vel flectat audientem , vel frangat : Chrysologus rem dicit brevissime , & postquam indicavit , quid suæ sit sententiæ , cetera auditori cogitanda & apud se expendenda relinquit ; verborum figuratas ubique , sententiarum raro sectatur ; varietatis expers est ; vehementes motus nec in se prodere , nec a suis requirere , multoque minus extorquere solet . Verbo , ut militari similitudine comparationem absolvam , Chrysostomus gladio pugnat verbi divini , Chrysologus pugione . Sed virum ætate nostra clarissimum audiamus , Ludovicum Antonium Maturum , qui Chrysologi decora l. de Dignitate Eloquent. Popular. c. 7 ita enumerat , ut minime dissimulet ea ,
qua

quæ a superiorum quoque temporum
scriptoribus in illo desiderata sunt:
„Habemus Sermones S. Petri Chryso-
logi. Claritate pollut, eaque facit,
„ut ad omnes intellectus perveniant.
„Nimirum stylo utitur conciso, sen-
„tentiis sponte subnatis ac propriis,
„explicationibus item Scripturarum
„perquam appositis. Verum enim,
„cum orationis suæ vim ac robur in
„eo collocatit, ut antithetis seu con-
„tra positis & fixarum cogitationum
„acuminibus continenter ac perpetuo
„florentem efficeret; is operam dedit
„quidem, ut multum placeret auribus,
„minus autem, ut veritate vehemen-
„ter proposita voluntates auditorum
„commoveret. Chrysologi seu Orato-
„ris aurei nomen re quidem ipsa tulit;
„utrum digne, non dubitari non potest.
„Profusa illa voluntas ejus, semper
„peregrine, semper excelse, semper
„acerrimo acumine cogitandi, & sic
„cogitata eodem perpetuo retento
„more ac modo contexendi, dulcedo
„quædam est, quæ cito satiat, de-
„mum nauseam creat. Illud haud scio,
„unde quibusdam sit creditus in Ser-
„mone trigesimo quinto tanta conten-
„tione dixisse ad populum, ut amissa
„voce mutus restiterit: id quod ex
„Sermone octogesimo sexto erui con-

„tendunt. Verum nihil ejus rei ex
„Sermonibus illius colligendum: plu-
„ribus enim diebus alia de causa præ-
„dicaturus substitit.“ Honori tamen
Sancti Doctoris melius consuletur, si
de eo idem dicamus, quod Muratorius
hujus ipsius opusculi c. 8 dixit de D.
Ambrosio, cui magis favebat; Chry-
sologum aliter populo, aliter posteris
locutum esse; & ad promiscuam ple-
bem ita dixisse, ut captus ejus ferebat;
in charta vero ita scripsisse, ut attentis
doctisque lectoribus convenire eredebat.
PETRUS COMESTOR, Trecis ad Se-
quanam natus. Cognomentum ei non
a librorum copia additum, quos velut
antiquitatis totius helluo devorarit, ut
aliqui redicule divisarunt: sed gentili-
tium nomen *le Mangeur*, temporum
illorum ingenio, latinum sibi esse ma-
luit. Ideo in Cod. MS. Parisiensi ad S.
Victoris, ubi Canonicus Regularis po-
stremos vitae annos exegit, hæc in-
scriptio etiam nunc legitur: *Ostoginta
Sermones Petri Manducatoris, quorum L
Presbyter edidit, alias XXX factus Cano-
nicus S. Victoris.* Hujus vtri opus est
Historia illa Universalis, propter quam
honoris gratia, &, ut ita dicam, an-
tonomastice, *Historia Scholastica Magi-
ster appellari solet.* Eam implevit, ut
Sixtus Senensis, Biblioth. Sanctæ l. IV,

tit.

lit. Petrus, inquit; non solum multis ex-
ternis historiis, scripto probatissimorum aucto-
rum proditis; sed etiam multis apocryphis
narrationibus, sola veterum traditione sine
ullo scripto acceptis: adjectit item variis in
locis breves quasdam ex dictis Patrum anno-
tationes, quæ locos historiæ obscuros illuſtra-
rent. Eandem eruditionem & optimum
e Patribus succum Sermones offerunt.
PETRUS DAMIANI, S. R. E. Car-
dinalis, & Episcopus Ostiensis, vir
baud dignitate clarior, quam lingua, ait
restitutor bonarum artium, Franciscus
Petrarcha, l. II de Vita Solitaria, tract.
3 c. 17. Constantinus Cajetanus præf.
in Tomum II Operum Petri Damiani
testatur, eum a viris doctis appellari
Hieronymum Juniorem. Neque nomen-
cationis hujus una cauſa est: Di-
vinae Paginæ notitia & usus, in scriptis;
data Pontificibus Maximis consilia; la-
bores pro Ecclesiæ utilitate suscep-
gravissimi & innumeri; austera viven-
di ratio; doctrinæ ac disciplinæ seve-
ritas. Luculentissime eum scripsisse, &
eleganter decenterque, Victor III Pontifex
Maximus l. II Dialogorum pronuncia-
vit; sed nolim expectes elegantiam
Atheniensis cuiuspiam, dicentis in cu-
ria; Laconis est, prodeuntis ad præ-
lium, non sine horrore, tum seculi,
tum etiam viri. In Sermonibus alieni

(S 2) qui-

quidam sunt, videlicet de S. Martino,
de Rivi Fluminis, de S. Stephano,
de S. Nicolao, cuius initium est, *Nicolaus iste meus, imo & vester*, de S. An-
Adrea, *Et quietum studium;* & de Ma-
ria Magdalena, *Hodie misericordia & ve-*
ritas obviauerunt sibi: quorum aliqui
etiam inter Bernardi Sermones falso
leguntur, & postremi duo sunt Nico-
lai Claravallensis. Annumerandus his
est Sermo ille de Nativitate Domini,
qui apud Lipomanum Vol. VIII &
apud Surium Vol. VI insertus est. Li-
ber vero de Correktione Papæ & Epi-
scopi ab hostibus Romani nominis bea-
to huic viro per malum dolum affingi-
tur. Quæ in Epistolis habet contra
D. Leonem de bello Northmannico,
& in libro *Gratissimus* inscripto contra
Liberum P. M. deque Christi Sacerdo-
tio ad Jordanem fluvium cœpto; non
sine gravibus causulis notata sunt a Ve-
nerab. Roberto Card. Bellarmino, tum
in libro de Scriptorib. Eccles. tum in
præclaro volumine de Pontif. Narra-
tiones B. Petri Damiani a candidissimo
animo processisse, tum asperrima ejus
sanctimonia cuivis æquo judici satis su-
perque demonstrat, tum illa verba de-
clarant, quibus vitam Dominici Lori-
cati ad Alexandrum II Rom. Pont.
(Ep st. I 19) auspicatur: „Vir itaque
„DEI

„DEI Dominicus , pater & dominus
 „meus , ante annum defunctus est:
 „cujus vita si scribatur , vereor , ne
 „fortassis a quibusdam fratribus incre-
 „dibiliis judicetur. Sed absit a me
 „mendacium scribere : nam qui veri-
 „tatem pro viribus veraciter colo ,
 „commentum fallaciæ non admitto.“
 Hujus ipsius loci mentione illata Fleu-
 rius Histor. Eccles. I. LXI § 2 bonam
 narrantis fidem agnoscit , addens tamen
 hanc clausulam : *quamvis haud facili nego-
 tio a nimia credulitatis nota absolvi possit ,
 referens historias non satis fide dignas , alio-
 rum testimonio nixus.* PETRUS VE-
 NERABILIS , ita ob singularem sa-
 pientiam & mores integerrimos appella-
 tus , Cluniacensis Abbas. Peculiare
 Cluniacensis meritum est ardor animi
 & studium ei proprium oppugnandi
 per se aliasque impiam Mahometis le-
 gem : cuius rei caussa dedit operam ,
 ut Saracenorum Alcoranus a peritis
 hominibus ex arabica lingua in latinam
 transferretur , dignus , qui propter
 ejus errores confutatos novo & singu-
 lari nomine *Anticoranus* vocetur : ara-
 bice enim ac turcice liber ille fabulo-
 sus *Coran* appellatur. De Miraculis
 quæ scripsit , eandem fere cautionem ,
 quam Petri Damiani narrationes desi-
 derant.

959. PHILo CARPATHIUS Episcopus.
 PhiloCar. Scripsisse hunc in Salomonis Cantica, extra omnem dubitationem ab omnibus ponitur: cum & Suidas apertissime testetur, & Catena Græcorum in Cantica frequenter Philonis hujus Carpathiorum Episcopi locos interponat. Sed liber, qui sub Philonis nomine hodie circumferatur, interpolatus subinde ab alio est: ut acute observavit optime meritus de Canticis interpres, & vir ex omni parte doctissimus, Martinus Delrius. Carpathii stylus planus & simplex longissime abit ab elocutione Philonis alterius, Hebræorum omnium in lingua græca dissertissimi: quem propter eximiam & poetice proximam facundiam Platonis imitatem tam fidelem omnes agnoverunt, ut etiam adagium nasceretur, vel Platonem Philonis, vel Philonem Platonicis æmulum esse: cuius proverbii tanta est antiquitas, ut & in Photii P. C. Bibliotheca, & in Epistolis D. Isidori Pelusiota referatur, ab illo quidem in Cod. 105, ab hoc Epist. III 81. In Allegoriis Divinæ Paginæ, Veteris nimirum Legis, græcum sermonem floridissimum hebraico ingenio miscuit, ac temperamento admirabili copulavit: quem tamen sensum allegoricum postea non pauci Græcorum Patrum sectari sunt, & si stylum Platonicum demas, multo

multo etiam melius ipso Philone asserti. Liber de Mundo Philonis Hebrei non est. Qui Christianum aliquamdiu fuisse rati sunt, descivisse tamen ab hoc nomine, & ad hebraicam pertinaciam rediisse non negarunt, ut Photius l. d. memorat. D. Hieronymus locum ei inter Scriptores Ecclesiasticos concessit quidem, non tamen ut auctori christiano, sed ideo solum, ut palam testatur, quia Philo Christianos Alexandrinos libro peculiari laudavit.

PHOTIUS, S. Tharasii Patriarchæ
CP. sorore genitus, urbis imperioriæ
Senator & Protospatharius fuit. Nul-
lis sacris initiatus, Pontificatum CP. mi-
ris artibus bis occupavit: bis eodem
dejectus, tandem privatus supremum
vitæ diem egit. Taceo ejus Nomoca-
nonem, & ingens Epistolarum corpus,
quæ ad sola fere Jura Orientalium per-
tinent. Immortalem apud eruditos me-
moriam ei obtinuit Myriobiblon seu Bi-
bliotheca, a quo nequem scelestissimi
auctoris infamia avertat, sciendum,
opus hoc ante ab eo scriptum, quam
sacrilega ambitione corruptus, ab Sede
Romana deficeret, & insanabili Schi-
matis vulnere Ecclesiam sauciaret. Mul-
tis id probat Andreas noster Schottus,
dignus auctore Photio interpres, in

960.
 Photius P.
 C.

Prolegom. ad ejus Biblioth. cuius omnino sex Codices enumerat, de cultu imaginum sacrarum orthodoxo sensu prorsusque catholicoscriptos: deinde quod Romanos Pontifices, & Sanctos Occidentis Patres, Leonem, Irenæum, Ambrosium, Augustinum, ceterosque, magnifice semper appellat. De ipso Photii Opere idem Schottus in Notis ad Chrestomathiam Procli: „Libere judicat Censor & Criticus gravissimus, summi & ingenii, & judicii, de scriptoribus ducentis amplius & septuaginta, Philosophis, Poetis, Historicis, Oratoribus, Philosophis, & Theologis: qui maximam partem, temporumne injuria, an majorum incuria? perierunt.“ Franciscus Turrianus, proœm. in Constitutiones Apostolicas Clementis Roman, de Photio inquit: „Tam accurate, tam acri ingenio, tam considerante, tam docte, tam distincte, tam libere, de tanta multitudine & varietate librorum judicium facit, ut nihil animadversione dignum prætermissee videatur.“ Nolim tamen occultare nævos, quos in hoc volumine oculatiorum acies deprehendit. Multa alibi dicta, alibi inutiliter repetuntur: non paucæ lacunæ relictæ sunt, quarum inanis hiatus lectorem frustratur: nullus ordo, nisi quem casus fecit: stylus

neglectus, & inornatus: pene ut suspicio sit locus, non luci publicae, sed suae tantum memoriae & privato usui auctorem haec concessisse. Iose libri titulus inflatior, & arroganti ingenio Photii respondens: Myriobiblon inscripsit, seu decem millia librorum, cum auctorum CCLXX aut CCLXXX libros circiter mille quadringentos quinquaginta recenseat.

POLICARPUS, Apostolorum discipulus, nominatim Joannis, & post S. Policarp. hujus mortem totius Asiae magister pus. præcipuus, & religionis christianæ columna. Ejus Epistola unica superest ad Philippenses, quam valde utilem appellat Hieronymus l. de Script. Eccles. & ad sua usque tempora in ecclesiis Asiae legi solitam fuisse testatur. In ea magistrum Joannem agnoscas: dulcedenis enim spiritu & fraterna caritate abundat.

POTHO PRUMIENSIS, illius Abbatiae Monachus, & Presbyter, libros V de Domo DEI, unum de Domo Sapientiae scripsit. Suum ipse characterem indicat prolog. in l. IV de Domo DEI: picturam variis coloribus distinctam assignare curavimus. Varietatem, quam spondet, sane praestat: colores (S 5) tamen

961.

Potho.

tamen in hac pictura non sunt admodum splendidi, nec penicillus admodum subtilis.

963. **PROCLUS PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANUS**, quondam **S. Proclus** **P. C.**

D. Joannis Chrysostomi discipulus. Juvenis, ut Socrates Hist. Eccl. VII 40 perhibet, Rheticæ operam studiose impendit. Virtutum ejus maxima fuit mansuetudo, qua idem Socrates VII 41 tanto superiorem eum omnibus ætatis suæ Episcopis extitisse ait, quanto lenior Israelitis omnibus suo tempore Moyses fuisse in divina historia dicitur. Scribendi genus ei pressum, laconicis sententiis plenum, scintillans antitheticis, & crebras paronomasias seu agnominationes commutans. Quibus notis quia caret Laudatio prior S. Stephani, recte a D. Proculo transfertur ad S. Asterium, cui & Photii in Myriobiblio auctoritas eam assignat.

964. **PROCOPIUS GAZÆUS**, cujus in libros Moysis, Josuæ, & Judicum Commentarii sunt opus coagmentatum e vetustioribus Ecclesiæ Græcæ Patribus, quorum dicta eleganter & scite admodum inter se conjunxit. Alias etiam Codicis Divini partes illustravit, præsertim Esaiam, quem splendi-

de

de & ingeniose exponit. Apparet e
Gazæi voluminibus, usum esse non
tantum exemplaribus LXX Interpretum,
Aquilæ, Symmachi, Theodotionis,
quod in homine græco mirum non est;
sed etiam Judæorum, Samaritanorum,
& Hieronymi nostri codd. unde singu-
larem viri diligentiam & rarissimam peri-
tiā æstimes.

PROSPER AQUITANUS, quem 963.
qui Reginensem scribunt, tota Gallia S. Pro-
aberrant; qui Regiensem seu Rejensem sper.
Episcopum rati sunt, nunquam hunc
saceræ dignitatis titulum docere testibus
ac tabulis potuerunt. Sacerdotio ini-
tiatum non fuisse, silentium ostendit ve-
terum omnium, qui cum Episcopi ac
Presbyteri nomen aliis accurate tribu-
ant, cur eo solum Prosperum non or-
nassent, siquem ille talem gradum in
Ecclesia concendisset? Id observamus
in Victorio Aquitano, qui multos an-
nos cum Prospero vixit; in Gelasio
Romano Pontifice, in Gennadio, in
S. Fulgentio, in Marcellino Comite,
in Adone Viennensi, in Hincmaro,
Floro, Prudentio, Rabano. Solus
demum Honorius Augustodunensis, qui
sex admodum seculis Prospero fuit po-
sterior, Episcopum facit: & fortassis
hic ipse Honori locus sincerus non est:
quem

quem deinceps alii super alios sine ulla
veritatis indagine certatim exscripsere.
Sanctus tamen jure optimo nuncupa-
tur, & ex iisdem, quos contra Pro-
speri sacerdotium pedumque nominavi,
Sanctum aut Beatum eum appellant Vi-
ctorius Aquitanus, Gelasius Pontifex,
& S. Fulgentius: quibus adde Cassio-
dorum. Sed ut in vitæ conditione, ita
in Operibus Prosperi, controversiae mo-
ventur undique. Libri de Promissioni-
bus & Prædictionibus DEI sunt illi cer-
te Sancti alicujus Prosperi, quod e
Cassiodoro patet; sed an nostri hujus
Aquitaniici, non liquet. Libros de Vi-
ta Contemplativa Prosperi dicere jam
nemo audet, postquam Jacobus Sir-
mondus, in cognitione Patrum summæ
vir autoritatis, eos Juliani Pomerii esse
demonstravit. Unde meum quoque, Le-
ctor Benevole, errorem L. III hujus Ope-
ris N. 189 corriges, ubi locum ex libris de
Vita Contemplativa, non meo judicio,
sed per incogitantiam, Prospero ascripsi,
quos Juliano Pomerio & debebam, &
vero etiam volebam. Libros de Vo-
catione omnium gentium quam certum
est ad Ambrosium non pertinere, tam
incertum, an a Prospero nostro, an
ab Hilario, an a Prospero Aurelianensi
profecti sint: imo S. Leonem I Pont.
Max. cuius Notarius fuisse Prosper legi-
gitur,

gitur, e styli similitudine quidem voluminis hujus auctorem suspicati sunt. Epistola ad Demetriadem, et si & ipsa non est Ambrosii, an tamen a Prospero Antiquitano sit exarata, non satis constat. De Poematis & Chronicis loqui, ut professus initio sum, non est mei propositi. Sola igitur supersunt illa, in quibus Prosper vel D. Augustinum defendit, vel ex eo lectissima excerptis; Liber, inquam, contra Collatorem; & Sententiae ex Hippone nensis voluminibus collectae. Paucæ quidem hæ sunt, si molem totius Augustini spectes; attamen tales, ut ex illis intelligas, non omnes ejus libros in nostra manu esse. Adverlus Collatorem vero, seu Cassiani Colliationes, incredibilis est argumentandi vis: nullam in suis disputationibus rem tuetur, quam non abunde presuadeat; nullam oppugnat, quam non evertat.

CAPUT VII.

Patres & Scriptores Ecclesiastici ordine alphabeti.

R — Z

RABANUS MAURUS, sive, ut ipsius ætate scribebatur, Hrabanus Maurus, ex Abbe Fuldensi demum

^{966.}
Rabanus
Maurus.

Ar-

Archiepiscopus Moguntinus. In libris XXII de Universo D. Isidori libros Etymologiarum magno & virili animo imitatus, Herculeum labore exantlavit. Sed omnes ejus libros superant Commentarii in maximam Codicis Divini partem, quos ultra centum quadraginta libros extendit. Opus quam mole, tam pretio ingens, quippe solis fere SS. Patrum verbis contextum, qui mos erat illis temporibus libros scribendi. Expositio Regulæ S. Benedicti, ut ex Aimoino colligitur, ad Smaragdum revocanda est. Opus de Cuce non est hujus loci: in cujus versibus & figuris antiqua illa ætas artem incomparabilem obstupuit, nostra singularem patientiam admiratur.

967.
Radulphi
duo.

RADULPHI duo, Ardens, & Niger. RADULPHUS PICTAVIENSIS, cognomento Ardens, Homiliae composuit, in quibus concinnitatis paulo plus, quam ardoris invenias. Evangelii ordinem verbaque secutus, quæ illorum temporum consuetudo erat, nonnihil tamen pleniores & uberiorem se præbuit, & affectuum aliquem succum admisit, vetusto illi Postillarum generi haud sane frequentem. RADULPHUS NIGER, seu FLAVIACENSIS, aut FLAICENSIS: nequaquam

quam enim vel ad Fuldenses, vel ad Luxovienses avocari potest, cum Monachus fuerit in Diœcesis Bellovacensis Cœnobio ad D. Geremari, quod gallice S. Germer de Flaix nominatur. Ejus ætas, quæ diu omnes Patrum diribitores fecellit, totisque duobus seculis a vero abduxit, tandem eruta est ex Alberici Cisterciensis Chronico, e quo exploratum est, floruisse A. C. 1157. Opus ejus in Leviticum, quod viginti librorum est, Elinandus ætatem Radulphi attingens *magnificum* appellavit, ut est apud eundem Albericum. Merito hoc Elinandus: quia, quod Sixti Senensis judicium est l. IV Biblioth. Sanctæ, tit. *Radulfus*, „ ita diserte, pie, & „ erudite omnia hujus libri mysteria, „ tam secundum historicum, quam se- „ cundum spiritualem sensum explicavit, „ ut in comparatione ejus ceteri ejus- „ dem libri expositores minime expo- „ suisse videantur. “ Præsertim tropo- logiam acutissimo ingenio & maxima fe- licitate persequitur, & locos etiam in- tricatissimos ita enodat, nihil ut subtilius requiri poscit.

REMIGII duo, Episcopus, & Mo-
nachus, ambo Galli. REMIGIUS AU-
TISIODORENSIS, sive AUTISSIO-
DORENSIS, e sanctissima D. Benedi-
cti

968.
Remigil
duo.

cti familia, non tamen illius urbis Episcopus. Commentarium in Psalmos eius derogandi argumentum solidum non invenio. Eum confecit ex Ambrosio, Augustino, & Cassiodoro: quibus & sua pro arbitrio interposuit. Nec minorem utilitatem habet explanatio Prophetarum omnium, quos minores vocamus, dempto Osea: qui universi, solo Jona excepto, sunt obscurissimi, bonique interpretis ope plurimum indigent. De expositione SS. Sacrificii l. II horum subsidiorum N. 109 dixi. Liber de Divinis Officiis nec totum Remigii est, nec alcuini, sed inter utrumque dividendus: limites autem amborum describere nemo facile ausit, neque rationibus nostris magnopere conductit. REMIGIUS RHEMENSIS ille fuit, cuius nomen perdiu Commentariis in Paulum est inscriptum, adjuvante praesertim errorem hunc auctoritate doctissimi Villalpandi, quam plures Italiæ, Galliæ, Germaniæque editiones secutæ sunt. Hæ plurimis & mihi quoque tamdiu imposuerunt, donec argumentis serio perpensis, quæ tum ab evidenti temporum ratione, tum etiam a stylo ducuntur, intellexi, Rhemensis patrocinium probabilitate omni carere. Controversia igitur tota recidit ad D. Haymonem & Remigium Autisiodo-

dorensem. Tractandi ratio, quæ in Paulinis his Commentariis observatur, utriusque convenit: ad Remigium tamen ut potius propendeam, hæc moverunt, quæ in hac Pauli explicatione & aliis ejus indubitatis operibus æque occurrunt. Romanos poetas classicos introducere amat, atque ita, ut apte intersint. Etymologiam verborum saepè respicit, & in rem suam feliciter ea utitur. Hæc in Haymone frustra quæreras. Stylus ambobus par: & quoties de sacro sancto altaris mysterio sermo incidit, cogitandi & loquendi modus, diversus a reliquis, inter ipsos omnino congruit.

RICHARDI duo, e populis inter se affinibus oriundi. RICHARDUS PAMPOLITANUS, sive HAMPOLUS, Anglosaxo, in suo JESU Christi elogio, & utraque divini amoris laudatione, utilia ad vitam subministrat non pauca. De eloquentia vero si interroges, similem esse fatebor Romanis illis veteribus, de quibus M. T. Cicero l. de Claris Oratoribus: *In dicentium numero, non in Oratorum fuerunt.* RICHARDUS VICTORINUS, in Scotia natus, sed Parisiis ad S. Victoris Canonicus Regularis. Inter complura ejus præclara opera admirabiles sunt libri sex de Trinitate, in quibus non Sacræ Paginæ

Lib. XI.

(T)

969.
Richardi
duo.

au.

au&toritate, sed humano ingenio de-
tam sublimi & arcano mysterio disputat.
De libris IV Exceptionum ambigitur:
rationibus utrinque subductis, Richardi
potius videntur esse, a librariis tamen,
uti fit, in nonnullis viciati. Stylum Vi-
ctorini nemo melius definierit, quam
qui dixit, esse medium inter Augustini
acumen & Bernardi dulcedinem.

970.
Robert
duo.

ROBERTI duo, Anglus alter, al-
ter Gallus. ROBERTUS HOLCO-
TUS, seu Rupertus Holcot, Theo-
logus Anglus e celeberrima D. Domi-
nici familia. Post editos in Magistrum
Sententiarum Commentarios, totum se
Divinis Libris interpretandis addixit,
eique est labori immortuus. In solum
Sapientiae librum extant ejus Lectiones
CCXIII. In VII prima Ecclesiastici Ca-
pita seripserat, cum tollere manum de
tabula mors coegit. Qui Lectiones in
librum Sapientiae huic eripere, & Re-
ginaldo ab Alna donare volunt, pa-
rum firmis viti rationibus mihi qui-
dem videntur. Scriptor est minime
præruptus aut concilus, sed libera-
lis in explicando, subtilis in inda-
gando, doctus in decidendo. RO-
BERTUS A SORBONA, cognomen
hoc a vico Galliae Sorbona, ubi pri-
mam lucem aspergit, adeptus est. Di-

vo Ludovico IX Galliarum Regi carissimus, & B. V. M. Canonicus Lutetiae Parisiorum fuit. Huic originem suam debet Collegium ibidem Sorbonicum, Academia toto terrarum orbe summopere celebrata: cuius initia Robertus Anno Domini 1252 posuit, tantumque auctoritate sua valuit, ut ignobilis tenuisque vici nomen, quod in ipsa Gallia ignorabatur, paulo post omnium gentium linguis frequentaretur, & immortale per omnia secula perduraret. Opuscula Roberti, de Conscientia, de Confessione, & Iter Paradisi, magis ab auctoris nomine ac pietate, quam vel ab ingenii acie, vel eloquentiae fuligore pretium habent.

RUFINUS AQUILEJENSIS Pres-
byter, vir doctus, græcis latinisque li-
teris excultus, diu veræ pietatis studio-
sus, tandem Origenis amore immodico
in transversum actus, novisque opinio-
nibus, & Pelagianorum amicitia cor-
ruptus. Ob has aliasque caussas a D.
Hieronymo, cui familiaris & carus erat,
non perfunctorie reprehensus est. Quod
Hieronymi judicium cum Romanus Pon-
tifex Gelasius approbaverit, non est
cur quidquam addatur. Expositio Sym-
boli ad Laurentium Episcopum, a qui-
busdam Cypriano, ab aliis Hieronymo

971
Rufinus
Aquile-
jensis

(T 2) ob-

obtrusa, Rufino reddenda est. Commentarii in LXXV Psalmos vel omnino ejus non sunt, vel saepe assutis posteriorum temporum plagulis variata. Eusebii Cæsareensis Historiam Ecclesiasticam ita vertit, ut non solum decem illius libros in novem contraxerit, sed etiam duos ipse de suo addiderit; mutando quoque ac interpolando tantum sibi libertatis arrogarit, vix ut Eusebii jam dici possit. Xysti seu Sixti, philosophi Pythagorici, hominis non christiani, Sententiarum librum S. Sixto P. M. & Martyri supposuit. Nec meliore fide Eusebii pro Origene Apologiam Pamphilo Martyri affinxit. In scribendi modo ornatum quæsivit magis, quam assecutus est: plus enim conatus & affectionis translucet, quam verae ac naturalis elegantiæ appetet.

RUPERTUS TUITIENSIS Abbas,

⁹⁷² *Rupertus scientia & virtutibus par Doctoribus summis, Tuitiensis, inquit Reinerus Leodiensis, l. de Scriptoribus Monasterii S. Laurentii, l. 11. Præter Ascetica, in omnes pæne Libros Divinos commentatus est, non eadem tamen in omnes ratione. Alios enim usitato expositionis genere interpretatur, libri ordinem per capita & versiculos persequens; ut Prophetas minores, Jobum, Ecclesiasten, & Cantica, ex Instrumento Vetere; e Novo, Mat-*

Matthæum, Joannis Evangelium, & Apocalypsin. Alias Sancti Voluminis partes in uno continuoque Opere intexit, & singulis Divinæ Triados Personis opera gloriariamque propriam attribuit. De utroque genere dicamus cum Reinero Leodiensi l. d. „ Aperuit ergo illi sensum Sapientia DEI, ut intelligeret Scripturas, ut tractaret de illis summa facultate, summa utilitate. „ Poteſt in ejus hoc pervidere opusculis, cujus oculum vel glaucoma invidiæ, vel lippitudo imperitiæ non scandalizat. “ Ingenium ei subtilissimum, & in allegoriis concinnandis felicissimum.

RUSBROCHIUS, dictus a natali pago *Ruysbroek*, sito in Belgio; cognominibus aliis sublimissimis Doctor Divinus, & Contemplator, veluti hujus generis antesignanus & princeps nuncupatus. Unde etiam vides, quid in ejus Opusculis excellat, sacra videlicet divinæ doctrinæ arcana, & præcepta, quæ appellant *mystica*, de intima cum DEO per amorem fidelissimum conjunctione.

973.
Rusbro-
chius.

SALONIUS, Divi Eucherii filius, quem ante Lerinensem secessum & Lugdunenum Archiepiscopatum e legitimo (T 3) tha-

974.
Selonius.

thalamo sustulit. Superstite etiam tum patre, & ipse Episcopus renunciatus est; cuius tamen sedis, in abdito latet. Commentarios suos in Salomonis Parabolam & Ecclesiasten, quo fierent amoeniores, & magis ad naturae imaginem accederent, Dialogis inclusit, ut apud Græcos Romanosque a vetustissimis & maximi nominis philosophis factum videmus.

SALVIANUS MASSILIENSIS
 Presbyter; non Episcopus, quam dignitatem ei asserere Scriptores quidam recentiores frustra conati sunt, omni antiquitatis suffragio destituti. Quæstiones de Locis Veteris & Novi Testamenti in speciem pugnantibus, seu, ut græco more loquimur, de *antilogiis*, potius D. Juliani Toletani Pontificis esse creduntur, quam Salviani. Dominicus Buhursius, ille defacati judicii Criticus, l. de Dictis Patrum ingeniosis, Salvianum appellat seculi sui Jeremiam. Sed libertati & vehementiæ Jeremiæ in reprehendendo Salvianus junxit eloquentiam sibi uni propriam, in qua cum summa acrimonia nitorem elegantissimum, cum gravissimo impetu certum statumque numerum orationis, cum austерitate maxima doctrinæ omnem facundiæ florem & omne genus oblectamenti copulavit.

975.
 Salvianus
 Massilien-
 sis.

SA-

SARISBERIENSIS, Joannes prae- 976.
 nomine, natione Anglus, S. Thomæ Ar- Sarisberi-
 chiepis: ope Cantuariensi, deinde Mar- ensis.
 tyri, tanta familiaritate conjunctus erat,
 ut ejus Manus & Oculus urbane a Petro
 Blesensi in Epistolis nominatus sit.
 Ipse postea ad infulam Carnotensem in
 Gallia proiectus, quoad vixit, semper
 spiritum illum fortitudinis retinuit,
 quem a constantissimo veritatis & liber-
 tatis sacræ vindice, Thoma suo Cantua-
 riensi, velut hæreditario jure hauserat. Id
 ex opere ejus præcipuo patet, Polycrati-
 co, aut Policeratico, sive de Nugis Curia-
 lium & vestigiis Philosophorum: ubi de
 vitiis nobilium & virorum principum
 maximo & imperterrita animo scripsit,
 omnemque rerum vanitatem liberrime
 irrisit, amoenitate addita a multiplici
 eruditione, & acerbitate materiæ iden-
 tidem lepidis jocis ac salibus temperata.

SIDONIUS APOLLINARIS, ge- 977.
 nere nobilis, familiam ipse suam, quam S. Sidoni-
 illustrem invenerat, illustrissimam fecit; us Apollini-
 cum enim fuisset præfectoria, uti tunu- naris.
 loquebantur, ipse patriciam reliquit.
 Primum enim singulari poeseos gloria
 statuam in fori Trajani bibliotheca me-
 ritus, tum Romanæ Urbi præfектus est,
 ejusdemque Patricius salutatus. Ipse
 tamen spes omnes humanas & opes va-

lere jussit, sacroque sacerdotum ordini
 se transcripsit: in quo deinde Pontifex
 Arvernorum, quem hodie Claromon-
 tanum Episcopum dicimus, commissum
 sibi gregem sanctissime rexit. Ejus in
 Epistolis & Carminibus eloquentiam
 his coloribus depingit doctissimus Jaco-
 bus Sirmondus, Tomo I Operum, in
 Vita S. Sidonii: „In quibus sane, seu
 „metro vincit, seu liberis ac solutis,
 „sive narret aut suadeat, sive laudet
 „aut vituperet, & quodcumque argu-
 „mentum tractet, par in omnibus fe-
 „licitas & copia, atque ea cum ver-
 „borum, tum sententiarum varietas,
 „ut mira in eo vis ingenii, & abundantia
 „quædam doctrinæ statim eluceat . . .
 „. . . . Neque vero in iis tantum,
 „quæ attentius meditabatur & elabo-
 „rabat, quantus esset ostendit; sed in
 „extemporalibus etiam repentinisque
 „scriptionibus: quarum illi tam prom-
 „ta facultas erat, ut non pauculos
 „duntaxat versus non meditatos funde-
 „ret e vestigio, sed justa
 „interdum utroque orationis genere
 „opuscula pari celeritate pertexeret.“

978.
 Simeon
 Theolo-
 gus.

SIMEON THEOLOGUS, dictus
 Junior, ut hac ratio ne a S. Gregorio
 Nazianzeno discerneretur, cui ob emi-
 nentem dvinarum rerum cognitionem
 præ

præ ceteris Theologi nomen majores
indiderant: posteri vero Simeonem
hunc, Abbatem hunc S. Manantis in
Xylocerco Constantinopoli, Theolo-
gum simul & *Neon*, vocarunt, id est,
Juniores, quod sola ætate, non divi-
norum scientia, inferiorem Gregorio
judicarent. Non est confundendus
hic Simeon, ut a viro magno nescio
qua memoriæ aberratione factum, cum
Simeone Metaphraste historico, de
quo dictum suo loco: neque enim vel
Abbas aut Monachus, vel Theo-
logus fuit Metaphrastes. Simeon
vero si major non fuit Theolo-
gus, quam Opuscula residua indi-
cant: ne illos ego liberales, vel po-
tius prodigos reor, qui Nazianzeno
proximum collocarunt. De eloquen-
tia vero si quæritur, longius, etiam a
Nazianzeno Oratore abest Simeon,
quam a Theologo: cum in Gregorio
summa sit facundia, in Simeone pura
simplicitas.

SIMON seu SIMEON A CAS-
SIA, sanctissimi Ordinis Eremitarum
D. Augustini, concionator ætate sua
percclebratus, & propter eloquentiæ
ac pietatis exquisitæ famam ingenti om-
nium ordium concursu auditus. In ejus
scriptis eminent libri XV de Gestis Do-
(T5) mini:

979.

Simon
Cassia.

mini: in quibus Evangelia quatuor in unum narrationis corpus aptissime redigit, & expositionem historicam morali identidem distinguens, diversa duo genera uno filo continuavit: quod ejus exemplum seculis ultimis Ascetæ plures imitati sunt. Epistolæ quoque, & reliqua, virtutis odorem suavissimum ubique exhalant,

980. SIXTUS II & III ROMANI
Sixtus II
& III.

PONTIFICES, quibus idem fatum obtigit, ut nomen alioqui clarissimum libris malis falso infuscaretur. S. SIXTI II PAPÆ ET MARTYRIS esse librum Sententiarum seu Proverbiorum adeo multi sunt opinati, ut ipsum Augustinum fama deceperit, & liber profanus in Bibliotheca Patrum nullo suo merito locum invenerit. At Augustinus magnamino illo suo candore professus errorem est, & profitendo obliteravit; in Retractionibus enim lectorem admonet, non Sixti Pontificis & Martyris, sed Sixti Philosophi eum librum esse, viri externi, & a Christi sacris alieni. Sæpius falsam hanc opinionem D. Hieronymus in Epistolis suis & Commentariis jugulavit: quam multo post Gelasius Pont. Max. decreto publico rejicit. Quod vero Gelasius librum ab hæreticis conscriptum dicit, hoc telo non

non ejus auctor Sixtus philosophus, sed interpres Rufinus petitur, qui librum erroribus plenum D. Sixto ascripsit. SIXTI III Epistolæ aliquot in Conciliorum Voluminibus extant totæ, & fragmentum nobile apud Vincentium Lirinensem. Sed liber de Divitiis, alterque de Castitate, & Epistola de Malis Doctoribus, nescio quomodo, per gravem certe noxiunque errorem, in Bibliothecam Patrum intromissi sunt, cum Pelagianorum erroribus scateant. Atqui scimus, Sextum, nondum tum Pontificatu suscepso, primum Pelagii doctrinam damnasse, inque ipso Pontificatu pestiferæ sectæ totis viribus obstitisse.

SOCRATES HISTORICUS, religione irreligiosa Novatianus : quod ipsum scribentis auctoritati oslicit. Nec adeo pretiosa videri monumenta Socratis possunt universum Historiæ Ecclesiasticæ curriculum intuenti, cum a Constantino cœpta in Theodosium Juniores desinat: multoque minus ea est in Socrate styli amoenitas, ut sola allucere lectorum eloquentiæ cupidum posset.

981.
Socrates
Histori-
cus.

SOPHRONIUS HIEROSOLYMITANUS Episcopus, rebus gestis, quam libris notior. Orthodoxi dogmatis contra Monothelitas defensor gene-

982.
S.Sophro-
nius.

nerosissimus fuit, ingenii tamen sui monu-
menta ad nos usque paucissima propa-
gavit. Cæsar Baronius ad A. C. 636
hæc narrat: „Sed & illud Hierosolymi-
„tana clades attulit detrimentum, quod
„æque cum civitate Sophronii scripta
„naufragium passa sint, quorum per-
„pauca duntaxat veluti racemi post
„vindemiam nobis hactenus reliqua sunt.
„ Ceterum ex paucis his no-
„bis relictis nobilissimi & divinitus
„afflati ingenii monumentis, qualis
„quantusque vir fuerit doctrina egre-
„gia & eloquentia prædictus, satis in-
„telligi posse videtur: ut plane inter
„nobiliores Orientalis Ecclesiæ magi-
„stros merito censeatur annumerandus.“
Præter Epistolas duas, Synodicam ad
Honорium Rom. Pont. & aliam ad Ser-
gium P. C. supersunt Orationes aliquot,
dignitatis & gravissimarum laudum ple-
næ, quibus Christum ejusque Crucem,
& Genios cælestes prosequitur. Nulla
tamen satis idonea ratio suppetit, cur
D. Sophronii putemus esse librum pro
S. Basilio contra Eunomium, & frag-
mentum Orationis de SS. Petro & Pau-
la, quæ rectius de S. Petro tantum in-
scriberetur. Pratum Spirituale seu Li-
monarium Joannis Moschi duntaxat per
catachresin ad Sophroniam referri, nec
eius esse Sermonem de Assumptione

B. V. M.

B. V. M. qui inter Opera D. Hieronymi legitur, supra hoc ipso libro dictum est N. 921 & 907.

SOZOMENUS cum Socrate historico multa habet communia; Novatianæ hæreseos labem, historiæ materiam, ^{Sozomenus.} ejusque fidem minime sinceram aut integrum. D. Gregorium Magnum audiamus, qui in Registro VI 195 ad Eulogium & Anastasium Episcopos scribens, ita Sozomenum notat: „In historia autem Sozomeni de quodam Eudoxio, qui Constantinopolitanæ Ecclesiæ episcopatum arripuisse dicitur, aliqua narrantur. Sed ipsam quoque historiam Sedes Apostolica arripere recusat, quoniam multa mentionatur, & Theodorum Mopsuestiæ nimium laudat, atque usque ad diem obitus sui magnum doctorem Ecclesiae fuisse perhibet. Restat ergo, ut, si quis illam historiam recipit, Synodo, quæ piæ memoriarum Justiniani temporibus de tribus capitulis facta est, contradicat. Qui vero huic contradicere non valet, illam historiam negasse est ut repellat.“ Scribendi genus inornatum & siccum est.

STRABUS FULDENSIS, Ger. 984.
manus, Rabani Mauri discipulus, in ^{Strabus} _{Fuldens.} **Glossa**

Glossa Ordinaria, cuius auctor est, illi-
matus & subtilis, rem explicans pro-
priis aptisque verbis, hæret semper in
in ipso Divinæ Scripturæ corpore.
Quid indieandum lectori sit, & acute
vidit, & omissis supervacuis in eo und
stylum defixit. Duxi Strabum Germa-
num, Walafridum non dixi: ne meam
facerem celeberrimam litem, Eloquen-
tiæ tamen Sacrae non necessariam, unus-
ne fuerit, an duo Strabones: tametsi
argumenta, quæ hactenus prolata sunt,
Strabum unum in duos dividere nos
non cogunt. Sic enim in unum caput
omnia conferre possumus, si dicamus,
Walafridum Strabonem aut Strabum
in Germania natum, D. Benedicti leges
in Cœnobio primum Augiensi, deinde
in Fuldensi secutum; postea ad S. Galli
translatum, ad extremum Augiæ Divitis
Abbatem ad Superos abiisse. Plurimum
Strabo Glossæ scriptori posteritas debet;
sed multum ipse Rabano magistro, e
cujus potissimum voluminibus Glossam
hanc in commodiorem formam contra-
xit: cui suam quoque Glossam post id
tempus addidit Anselmus Laudunen-
sis.

985.
Sulpicius
Severus.

SULPICIUS SEVERUS, genere
nobilissimus, divitiis affluens, literis
perpolitus, cum inaugurate sacerdo-
tia

tio esset, ad Pelagianos descivit: in semitam dein salutis reversus, nihil posthac literis consignandum sibi duxit. A mundi exordio ad sua usque tempora Historiam scripsit, in qua Christianorum Florus est, brevis & venustus, habetque illos præsertim sui studiosos, qui in rerum narrationibus non tam habitum corporis opimum, quam gracilitatem amant; quosque, valetudo modo bona sit, tenuitas ipsa delectat. Præter ea, quæ tempus nobis invidit, D. Martini res memoratu dignas persecutus est, ut publicus ejus mortui præco esset, cui etiam tum viventi amicissimus fuerat.

SYNESIUS, a prima adolescentia philosophiæ se addixit, & rei civilis notitiam uberem sibi comparavit, quæ in ejus libris effulget. Demum in ipsa sua patria, quæ Ptolemais seu Cyrene urbs Libyæ fuit, Episcopi honores adeptus est. In Hymnis splendidus, cum tamen de S. Triade christianisque mysteriis canit, tum necessitate carminis astrictus & impeditus, tum in veteres philosophiæ errores revolutus; non semper eadem accuratione versiculos pangit, qua theologus in suggestu doceret. Sed nullus ejus liber frequentius in ore omnium fuit, quam Galviti Laudatio,

986.
Synesius.

inter

inter paradoxa & inexpectata dicendi
argumenta ab omnibus numerata. Theophilus Raynaudus, liber severus-
que Criticus, in Triade Fortium David,
Parte III seu in Cæsare de Bus n. 34
meminit laudatæ „stultitiae, pediculi,
„calvitii, umbræ, podagræ, febris
„quartanæ, ac similiū ~~merciū~~, qui-
„bus digni sint abundare, qui laudant:
„homines male feriati, qui in absonis
„illis argumentis ingenium deterere,
„ac tempus prodigere, in animum in-
„duxerint, otioso prorsus, nec pro-
„bando per sapientes consilio.“ Qui-
bus verbis et si *calvitii* quoque laudato-
rem ferit, sanat tamen hoc vulnus, &
ex hoc numero Synesium eximit, dum
eiusdem Triadis Parte II n. 40 ait, nu-
gatoribus his a se non admisceri Cyre-
nensem Calvitii prædicatorem, propter
summum ingenium in ea scriptione ab auctore
proditum, quod materiæ subjectæ exilitatem
compensat. imo cuius præstantiam & fer-
tilitatem nihil magis quam hæc ipsa
materiæ exilitas demonstrat: nam, ut
Joannes Phrea in Synesianum Calvitii
Encomium, quod primus ipse latine
vertit, „in hoc arguento adeo est
„hic auctor copiosus & affluens, ut
„vel ex hac unica oratione illum asse-
„ras & summum philosophum, & ora-
„torem fuisse gravissimum. Non enim
„ar-

„argumentis vulgaribus, nec a superficie rerum sumptis utitur, sed confirmationes confutationesque firmissimas, & ab ipsis naturae visceribus eductas, in medium adducit.“ Beatus autem Rhenanus in epist. ad Martinum Ergerinum, non sine aculeo: *Atque hic demum jocus est eruditio gravique viro dignus. Nunc ridiculi sumus, etiam cum seria scribimus; faceti non sumus.*

TATIANUS ASSYRIUS, sive 987.

Syrus, D. Justini Philosophi & Martyris discipulus, in philosophia & eloquentia magistrum ipsum superavit, in religione vero infelicitet sancti sui doctoris vestigia desertuit: nam in haeresin sui nominis miser prolapsum est, unde Encratitae ortum habuere. Scripsit, Hieronymo teste, libros innumeros, quorum optimus fuisse creditur, qui contra Græcos inscribitur, & nunc etiam superites docet, fuisse in Tatiano literas profanorum, nec eas vulgares, sed interiores quasdam & reconditiores. Verbotum illi summa est & gravitas, & munditia: quæ decorantur lepore quodam, dignitati rerum nequaquam obstante. Harmonia IV Evangelistarum, Ammonio tribui solita, Tatiani est; an Diatessaron quoque, dubitatur.

988.
Tertullia-
nus.

TERTULLIANUS Afer sacerdos,
 genere nobili, quippe Centurione Pro-
 consularis officii natus. Origeni eum
 comparat Vincentius Lirinensis, Com-
 monitorii Parte I c. 24, & ita de eo
 prædicat : „ Quid enim hoc viro do-
 „ , etius ? quid in divinis atque humanis
 „ , rebus exercitatus ? Nempe omnem
 „ , philosophiam & cunctas philosopho-
 „ , rum sectas, auctores assertoresque
 „ , sectarum, omnesque eorum discipli-
 „ , nas, omnem historiarum ac studio-
 „ , rum varietatem, mira quadam men-
 „ , tis capacitate complexus est. Inge-
 „ , nio vero nonne tam gravi ac vehe-
 „ , menti excelluit, ut sibi nihil pæne ad
 „ , expugnandum proposuerit, quod
 „ , non aut acumine irruperit, aut pon-
 „ , dere eliserit ? Jam porro orationis
 „ , suæ laudes quis exequi valeat, quæ
 „ , tanta nescio qua rationum necessitate
 „ , conserta est, ut ad consensum sui,
 „ , quos suadere non potuerit, impellat ?
 „ , cuius quot pæne verba, tot senten-
 „ , tiæ sunt ; quot sensus, tot victoriæ.
 „ , Sciunt hoc Marciones, Apelles, Præxæ,
 „ , Hermogenes, Judæi, Gentiles, Gnosti-
 „ , ci, ceterique: quorum ille blasphemias
 „ , multis ac magnis voluminum suorum
 „ , molibus velut quibusdam fulminibus
 „ , evertit. “ D. Hieronymus epist. 65
 elogium ei tribuit eruditæ & ardentis viri,

&

& idcirco delectatum ejus libris esse beatum Cyprianum ait. Ipse vero Hieronymus, et si rebus omnibus longe Tertulliano superior, quanti tamen eum faceret, epist. 128 ostendit, se guttam, illum appellans flumen: quæso, ne meam stillam illius flumini comparetis. In ejus Operibus primas partes obtinet Apologeticus contra Gentes: nusquam major eruditio, soliditas, ardor. Proximus ab eo locus debetur libro de Præscriptionibus contra Hæreticos, in quo non priores tantum aut secum viventes, sed futuros etiam & quibuscunque seculis orituros refutat; imo & se refellit ipse, & contra suos errores arma invicta & aeterna recte sentientibus præbet. Magna pars eorum, quæ a Tertulliano elucubrata habemus, funesto ejus lapsu posteriora sunt; non tamen ideo inutilia: nam & errores ejus ac paradoxa multi notarunt, sed nemo melius solertissimo ejus editore Pamphilio; & his recisis, multa sunt bona frugis, & usus optimi. Quantus in Tertulliani libris omnibus apparatus lateat Eloquentiæ Sacrae, vel solus declarat Michaelis Vivieni *Tertullianus Prædicans*, in quo omnia dicendi argumenta filis ex ipso potissimum uno sumptis pertinxuntur. Liber de Trinitate, Epistola de Cibis Judaicis, & Carmina, incerti

auctoris sunt. Laudem styli & vitium brevi sententia constrinxit Hieronymus epist. 13: *Tertullianus creber est in sententiis, sed difficilis in loquendo.* Imo Dominicus noster Buhurcius (*Boubours*) maximi & nominis, & meriti Criticus, in Methodo recte cogitandi de Scriptis Ingeniosis, dial. 2 observat argute, sententiarum pondus & acrimoniam in auctore hoc deberi aliqua ex parte *stylo duro & barbaro*. De infelicissimi viri pœnitentia nullum uspiam vestigium in historia deprehendimus: nam quod Regino, antiquus rerum Germaniae scriptor, inter Martyres eum collocat, similitudine nominis in errorem induci potuit, sanctum fortasse Tertullinum in animo habens, cuius memoria inter Christi pugiles die quarto Augusti colitur, & cruciatus ac mors gloriosa in Actis D. Stephani I Romani Pontificis & Martyris ad diem II Augusti leguntur.

989.
Theodo-
retus.

THEODORETUS, Cyrensis Episcopus, contra S. Cyrillum scripsit pro Hæresiarcha Nestorio, qui eo tempore una cum Theodoro Mopsuesteno plerosque Orientis Episcopos decepit, & in suas partes adduxit. Certum tamen est, respexisse se Theodoreum, & a S. Leone P. M. absolutum; imo & Pontificatui suo Cyrensi, quo dejectus fue-

fuerat, restitutum esse, & in Chalcedonensi Concilio cum ceteris Patribus consedisse. Inter ejus Commentarios eminent Paulini : cum enim nihil sit magis arduum, quam Pauli contextum ubique pervestigare, ac dilucide ante oculos ponere : Theodoretus id ubique feliciter asscutus est, & breviter quidque expedit, ut perfectum interpretem appellare non dubites. E ceteris Opusculis excellunt Orationes de Providentia. Epistolis falso adjecta est illa, qua ad Joannem Patriarcham Antiochenum de S. Cyrilli morte acerbe scripsisse fingitur: cum & Joannes aliquot ante Cyrillum annis mortem oppetierit, & pridem amicitia inter Cyrillum ac Theodoretum fuerit restituta, quin etiam familiari literarum commercio stabilita. Libros etiam XXVII contra Eutychianos composuit, qui a septimo usque ad vicesimum quartum ad S. Athanasii Opera male aggregati sunt. In scribendi ratione D. Gregorium Nazianzenum adamavit sic, ut ad verbum saepe imitetur: quod ipsos utriusque locos proferens Jacobus Billius in Prolegom. ad Nazianz. demonstrat. Etsi porro nec ingenium, nec maiestatem Gregorii consecutus est, brevitate non est inferior, claritate non raro superior.

990.
S. Theo-
dorus Stu-
dites.

THEODORUS STUDITES, id est, Abbas seu Antistes Studii, quod Monasterium erat ab auctore suo Studio ita nuncupatum. Vir fortissimus pro sacrarum imaginum cultu contra Imperatores Iconomachos invicto animi robore diutissime decertavit, multaque gravia passus, denique beatissimæ pro Christo necis lauream obtinuit. Ex hujus athletæ scriptis maxime conspicui sunt Sermones Catechetici CXXXIV, quorum tamen elegantia nativæ & purissimæ simplicitati latina interpretatio male respondet. At Epistolæ, quarum aliquas in Annalibus Baronii legimus, interpretem nocte sunt, quo meliorem optare non poterant, Jacobum Sirmondum. Par felicitas obtigit Orationi ejus de adoranda S. Cruce, quam primus latinam exhibuit Jacobus Gretserus Vol. II de Cruce. Sacra ejusdem carmina non pauca in Menæis Græcorum inter Canones & Hymnos sparsim occurrunt: e quorum numero excludendus est *Canon in erectione sanctorum imaginum*: harum enim restitutio cum post mortem demum Theodori contigerit, ab eo celebrari non potuit, carmine illo a discipulis viri sancti fortasse laudata.

991.
S. Theo-
philus An-

THEOPHILUS ANTIOCHENUS, sextus illius urbis Pontifex: e quo ipsa patet,

patet, nimis crasso errore a Chronologia discessisse illos, qui ad hunc Theophilum a Divo Luca scriptum esse Evangelium & Apostolorum Acta existimarent, cum is rei sacræ apud Antiochenos præfuerit saltem usque ad A. C. 177. Laudem ingenii, quam ei Divus Hieronymus tribuit, repetitis ex ipso verbis instauravit in Monotessari sui limine Zacharias Chrysopolites. Libri de Fide ad Autolycum, ossibus & nervis firmissimi, elocutione facundi, dignique omnino sunt, qui cum Justini & Athenagoræ, Tatiani ac Tertulliani Apologeticis conferantur. At Commentarios in Salomonis Proverbia, & Evangelia, peritissimus judex Hieronymus negat ejus esse styli & venustatis, ut S. Theophili nomen mereantur: antiquissimi tamen & gravissimi auctoris, atque ideo maximi ponderis sunt.

THEOPHYLACTUS, Bulgari-
rum Archiepiscopus, non seculo nono,
sed undecimo, eique jam inclinati il-
ligandus, quod ex ipsius Epistolis li-
quido compertum est. Acuti vir in-
genii, & magni animi, sed Schismate
involutus; & a latinis scriptorum suo-
rum interpretibus, Romanæ Sedi in-
fensis, pejus etiam depravatus. Dum
Evangelia, Acta, & Pauli Epistolas
(U 4) ex-

^{992.}
Theophy-
lactus.

explicat, ita D. Chrysostomi vestigia premit, ut ejus epitomen edere voluisse videatur,

923.
S. Thomas
Aquinæ.

THOMAS AQUINAS, in Ecclesiæ Doctores jam pridem a S. Pio V relatus, & propter doctrinæ eminentiam humana sublimiorem dictus Angelicus. Alberti Magni major ipse magistro discipulus, per insigne prodigium a Christo Servatore sibi dictum audiit: Bene de me scripsisti Thoma. Demetrius Cydonius in græco suo Panegyrico de D. Thoma inquit, conciliaſſe inter se quatuor illa, alioqui pugnantia, copiam & brevitatem, facilitatem & securitatem; hoc est, ut ego interpretor, soliditatem tam profundam, ut seculo esse certoque lectori liceat, & in argumentis ejus firmissimis acquiescere. Theologica Divi Thomæ Summa veluti lex quædam Theologiæ, & Cynosura Scholasticorum est: de qua illud extat Joannis XXII dictum nobilissimum, si Miracula alia Thomæ Aquinati ad Apotheosin deessent, solam Theologiæ Summam abunde sufficieturam, quippe in cuius 512 Quæſtionibus Articuli 2654 vere totidem Miracula dici possint. Hæc Summa etiam Eloquentiæ Sacræ utilitates maximas affert, utpote bases firmissimas tum ad docendum ac partendum,

dum, tum ad probandum & convincendum suppeditans. Id & exemplo suo passim concionatores solidissimi ostenderunt, & Joannes Benedictus Perazzus ætate nostra in Ecclesiaste suo Thomistico argumentis sexcentis demonstravit. Huic Eloquentiæ nostræ usui nihil admodum obest, quod Pars III Summæ non ab ipso Aquinate perfecta, sed post ejus e vita discessum aliena manu completa est: tanta enim cautione ac fidelitate adjunctum est supplementum hoc, ut nihil in illud admittetur, nisi e certis ac genuinis D. Thomæ scriptis de promptum. Silentio cetera prætereo theologica philosophica que volumina, ut ad Expositionem veniam Divinæ Paginæ. In hac, ut rerum verborumque difficultate, ita summi illius ingenii perspicacia, ceteros anteit liber Jobi. Commentarii in Matthæum auctor est Petrus Scaliger, Episcopus Veronensis, ex eadem fertilissima D. Dominici familia, quæ ipsum Aquinatem orbi terrarum largita est. In Esaiam, Jeremiam, & Threnos, ambigitur, sintne Thomæ Angelici, an Thomæ Anglici: quod proxima nominum cognatio errori librariorum obnoxium fecit. In Genesin vero, Danielem, Machabæos, Epistolas Canonicas, & Apocalypsin, absque dubitatio-

tatione ex alio fonte manarunt, sive
Thomæ Cardinalis Anglici, sive ignoti
cujusunque. At Catena Aurea in IV
Evangelia, e Sanctis Patribus artificio-
sissime connexa, D. Thomæ luculen-
tum decus est. Sermones, qui pro-
prie fori nostri sunt, ingens volumen
implent: quo consilio a Divo scripti,
quo audiendi studio a populis sint ex-
cepti, antiquissimus Vitæ scriptor Gui-
lielmus de Thoco c. 8 narrat: „Pro-
„sequebatur utilia populo, subtilitates
„quæstionum scholasticae disputationi
„relinquens: qui tam reverenter au-
„diebatur a populo, quasi sua prædi-
„catio prodiret a DEO.“ vel, ut S.
Antoninus Chronic. P. III Tit. 23 c.
9 inquit, *quasi sua prædicatio procederet de*
celo. quia nimurum, ut ibidem addit,
caelestis hic orator dicebat *Domino coo-*
perante, & sermonem ejus confirmante se-
quentibus signis. Ordo quidem & modus,
a nostro non parum abhorrens, suo-
rum utique temporum consuetudini &
præsentium auribus serviebat: qui tamen
non superficiem, sed interiora eloquen-
tiæ considerabunt, in tanta verborum
brevitate rerum magnitudinem, dignitatem
in simplicitate, methodum cum perspicuitate
admirabuntur, inquit editor Sermonum
D. Thomæ, Joannes Andreas Coppen-
steinius, in eorum Dedicat. Supersunt

Aqui.

Aquinatis *Opuscula*, quorum multa Criticorum judicio dubia; nominatim de Sacramento Eucharistiae ad modum decem Prædicamentorum, de Humanitate Christi, de Dilectione Christi & proximi, de Divinis moribus, de Beatitudine, de Modo confitendi, de Officio Sacerdotis, Expositio Missæ, de Vitiis & Virtutibus numero quaternario: ut omittam cetera, ad meram theologiam aut philosophiam pertinentia. Libros de Regino Principum D. Thomæ non esse, non conjecturis quibusdam, sed manifestis indiciis deprehensum est. Sermones XXXII de Eucharistia magistro deberi Alberto Magno, non Aquinati discipulo, hujus Libri N. 822 dixi, ubi de Alberto.

THOMAS CANTIPRATANUS,
Divi Thomæ Aquinatis sub Alberto Magno condiscipulus, Canonicis primum Regularibus se addixit, deinde ad institutum Prædicatorum transgressus, denique Episcopus ipse & Cameracensis Episcopi Suffraganeus extitit. Quanta fide in Libris Apum, & utraque Vita, Lutgardis, & Christinæ Hasbanicæ Mirabilis, res gestas narret: profitetur ipse in vita S. Christinæ, candide quidem & sine tergiversatione de stylo admonens, se imperito sermone uti; de rebus

994.
Thomas
Cantipratanus.

bus vero asseverans, se tam certis testibus niti, ut vel profuso sanguine narrationi subscriberent: noverit, quicunque legit, hæc talibus me testibus credidisse, qui nequaquam a centro veritatis etiam pro amputandis capitibus deviarent. Diserte & paulo pluribus Cantipratano fidem vendicat Georgius Colvenerius, æra tamen a lupinis caute discernens, præf. in libros Apum: „Quæcumque „a nostro Thoma de Cantiprato refe- „runtur, ea, pauculis exceptis, qui- „bus judicium nostrum vel in margine, „vel in notis adjeci, tanta veritatis cer- „titudine vel probabilitate commemo- „rantur, ut nec a refractario lectore „in dubium verti possint. Res enim „in primis refert gestas suo tempore, „quas vel ipse vidit, vel quarum ocu- „latos profert testes, vel alias a fide „dignis accepit. In pluriimis insuper „annum Dominicæ Incarnationis addit, „quo gestæ sunt; civitatem item „aut pagum, & ipsas non raro perso- „nas nominat, frequentius id facturus, „nisi adhuc in vivis fuissent, dum hæc „scriberet. Præter pietatem, erudi- „tionem, & longæ ætatis experien- „tiam, cum auctoritate scribit ac lo- „quitur: Crede mihi, inquit, ut Epi- „scopus loquor, & expertus „Non nunquam DEUM quoque ultorem
invo-

„, invocat in animam suam, si in eo,
 „, quod refert, mendax inveniatur. In
 „, iis vero, quæ auditu perceperat; cer-
 „, tius explorandis, ne quis nimis cre-
 „, dum fuisse arbitretur, tanta ei cura
 „, fuit, ut interdum 40 millaria sit emen-
 „, sus, ut oculis contueretur, quæ au-
 „, ribus acceperat. Interdum navigio
 „, domum quandam prætervectus; aut
 „, non procul ab ea, in qua insigne mi-
 „, raculum contigisse audierat, nave re-
 „, licta, pedibus eo se contulit, ut fa-
 „, miliam cerneret, in qua acciderat.
 „, Similem in eo diligentiam animadver-
 „, tere est in Vita B. Christianæ c. 23,
 „, ubi se refert ex longinquis Galliarum
 „, partibus profectum ad castrum Ger-
 „, maniæ conterminum, quod Loen ap-
 „, pellatur, ut ab Ivera Reclusa quadam,
 „, eximia pietate conspicua, instruere
 „, tur de iis, quæ ibidem degens B. Chri-
 „, stina gesserat. Idcirco sapientissi-
 mus Purpuratus, Robertus Bellarminus,
 de Scriptor. Eccles. ad Seculum XIII,
 de Cantipratano inquit: *Sub figura Apum*
multa scribit de officio Prælatorum & subdi-
torum; miracula atque exempla sui temporis
vere fideliterque describit.

THOMAS KEMPENSIS, seu Cam-
 pis oppido ad Rhenum in ditione sacra
 Coloniensi oriundus, cognomento Mal-
 leo-

995.
Thomas
Kempen-
sis,

leolus, Canonicus Regularis D. Augustini in Monte S. Agnetis prope Zwol-las in diœcesi Ultrajectensi, ex hac vita ad meliorem profectus est anno christia-no 1471, ætatis 91. Sermones ejus diversi, ceteraque Opuscula, quæ extra controversiam sunt, tres Partes efficiunt. Diligentissimus earum editor, Henricus Sommalius, in Dedicat. earundem inquit: „Siquis sit in orbe „libellus, qui consolari mœrentem, „juvare conantem, docere in vita spiri-„tuali tironem, aut jam aliquousque pro-„vectum possit, hujus Thomæ viri „sanctissimi opusculis mea quidem sen-„tentia id defero, quem puto in hoc „officii genere excellere plurimum. „Expertus ipse loquor.“ Cum tanta sententiarum præstantia conjunctum est scribendi genus humile & perpetua fere barbarie inquinatum: de quo tamen optime Georgius Pirkamerus, Prior Carthusiæ Norimbergensis, in Epistola data XVII Cal. Marc. anno post natum Christum MCCCCXCIV, a morte Kem-pensis duntaxat annis tribus & viginti: „Non eloquentiæ, sed veritatis fidu-„cia, hæc opera condenda aggressus „est: & oratione, quæ de tenui fonte „emanat, lumine tamen suo clara & „illustris appetet.“ Quod nec ipse auctor ignoravit, prolog. in Sermones

ad

ad Novitios de se ingenue confessus:
quamvis igitur *incultus sit sermo*. Inter
Thomam hunc Malleolum Kempensem,
Canonicum Regularem, & Joannem
Gersenium Ordinis S. P. Benedicti, di-
viduntur eruditorum sententiæ de pre-
tiosissimo illo libro de Imitatione Chri-
sti. Hic ego te, Lector Benevole,
quisquis es, magnopere rogatum volo,
ut neutrarum partium esse me finas:
utravis enim sententiæ me addixero,
sine alterius offensa vix fecero. Infi-
nita cauſa est, prolatis in utramque
partem argumentis diffusa, & post tam
multas longasque concertationes exi-
tum non habitura. Rationes certe,
inquiet aliquis, pro ambobus excogi-
tatas enumera, ut cognoscere de lite
possim. Dixi, multæ sunt: & de histo-
ria, de codicibus manu exaratis, de
antiquitate exemplarium, de testium
numero & fide, quotusquisque Lecto-
rum erit, qui statuere, ac judicare per
se ipsum audeat & possit? Unum est ar-
gumentum, ut mihi quidem videtur,
quod expedire te controversia sine te-
stibus ac membranis queat, & in quo
tu solus tibi sufficias. Extant, ut aje-
bam, Sermonum & Opusculorum Par-
tes omnino tres, quas Thomæ Kem-
pensis esse nemo negat. In his insigni-
tæ quædam styli notæ sunt, huic au-
tori

& tori propriæ; certæ quædam phrases, certi nexus, certæ transitiones, certi colores, certi etiam barbarismi; imo & numerus aliquis, minime quidem oratorius, stabilis tamen & eadem mensura in se recurrens. Hæc omnia Thomæ Kempensis quandam in charta effigiem exprimunt, e qua facile ab aliis omnibus ejusdem & superiorum temporum auctoriis eum dñoscas. His perceptis, librum quoque de Imitatione Christi expende: si easdem in eo phrases & nexus, easdem transitiones, eosdem colores & barbarismos, numerum eundem comperias, eundem esse auctorem intelliges; sin minus, diversos.

996.
Titi duo.

TITI duo, græci ambo scriptores, sed ætate diversi. TITUS BOSTRENSIS Episcopus, temporibus Juliani Apostatæ, valide contra Manichæos pugnavit editis quatuor libris, quorum tres integri cum quarti argumento supersunt. TITUS JUNIOR, Commentariorum in Lucam auctor, qui si Episcopus fuit, certe Bostrensis ille esse non potuit: quo nomine perperam, & seculo non suo, in Bibliothecam Patrum immissus est; cum enim Cyrilium Alexandrinum, Isidorum Pelusiotam, Chrysostomum, & Gregorios Nyssenum ac Nazianzenum nominet, velut

velut auctores jam tum antiquos & claros, Bostrensem illum diu post consecutus est. Sæpius ait, in Matthæum quoque se scripsisse; eamque ob causam in Lucæ Evangelio tacita prætermittit ea, quæ illi communia cum Matthæo sunt. Verum hic in Matthæum liber vel nusquam est, vel in angulo aliquo latet. Sæpissime alienus est, in suis concisus ac tenuis, nullis fere luminibus coruscans; in quibusdam etiam non satis religiosus, præsertim cum de Matre Divina loquitur.

TOSTATUS ABULENSIS, scri-
ptorum mole, cognitione antiquitatis, multi-
plici eruditione ad miraculum clarus. Ser-
monis elegantia defuit, nonnulla injuria, ne
cum quovis antiquorum conferatur. Annis
consequentibus Abulensis Episcopus creatus est.
Ita de Alphonso Tostato popularis ejus
Joannes Mariana, de Reb. Hispan. XXI
ult. Minus favet Philippus Brietius Ab-
bavillæus, qui in Annalib. Mundi ad
A. C. 1443 de Tostato ait: *Volumina nobis
editionis Venetæ XXVI (imo XXVII sunt
universe) reliquit, pollicitus, aut verius
minatus, centum. Commentariorum vo-
lumina a Genesi ad finem usque Parali-
pomenorum perduxit, eademque am-
plitudine Matthæi Evangelium prosecu-
tus est, scholastico more ad minutias*
Lib. XI. (X)

997.
Tostatus
Abulen-
sis.

de-

descendens, cum latinitate & obscuritate luētans, innumera iterum iterumque repetens, & ubique admiscens plurima, sine quibus melius intelligeretur. Commentarios Abulensis in Pentateuchon redegit in epitomen commodam, & Lyrani animadversiones in eosdem Moyis libros attexuit vir gnarus & modestus Petrus Paulus Ponticellus. Compendii loco esse potest copiosissimus & labore immani confectus Index, per totum volumen XXVI & XXVII Operum excurrens, cuius auctor est Franciscus Fontanus.

998.
Valeria-
nus Ce-
meliensis.

VALERIANUS CEMELIENSIS
seu CEMELENENSIS Episcopus. Ejus
sunt Homiliae & Epistola de Virtutibus
& Ordine Doctrinæ Apostolicæ. Su-
spicionem Semipelagianismi, seu Massili-
ensis erroris, a sancto hoc Pontifice
strenue propulsavit Theophilus Ray-
naudus, Theologus omni eruditionis
genere abundans, Operum T. XI, l.
de Valer. Cemel. c. 2-9. Idem in li-
bri hujus Proloquo stylum Valeriani de-
signat verbis Hilarii Arelatensis, alior-
sum ab auctore dictis, sed hic scite ac-
commodatis: florulentarum omnique amœ-
nitate vernantium homiliarum fragrantia. Si
Heriberti Rosweidi in notis ad Euche-
rii Parænesin, & Raynaudi l. d. c. 1,

con-

conjectura non fallit, hic est Valerianus ille nobilissimus, ad quem D. Eucherius celeberrimam Epistolam scripsit, & cognatum a vanitatis amore abstraxit.

VICTOR ANTIOCHENUS eo-
dem fere modo in Marcum Evange- 999.
listam, quo situs falso dictus Bostren- Victor
sus in Lucam scripsit; adeo quidem, ut Antioche-
legenti exordium non modo idem au-
tor, sed idem etiam liber esse videa-
tur. Gracilis sermo est, in quo non
eloquentiae, sed interpretationi servi-
tur: ea vero ipsa interpretatio potissi-
mum e veteribus sumpta, non ab au-
tore, verius scriptore, inventa est.

VICTORINUS PETABIONEN- 1000.
SIS seu PITAVIONENSIS in Panno- S. Victori-
nia Episcopus & Martyr, qui, teste D. nus Peta-
Hieronymo, multa scripsit, in pleros bionensis.
que Sancti Codicis libros commentatus,
grandis sensu, sed propter latini sermo-
nis egestatem eloqui cogitata non va-
lens. Solum nunc sub ejus nomine le-
gitur volumen in Apocalypsin: quod
ipsum tamen ei cum Bellarmino doctissimi
viri eripiunt, quoniam Victorinus,
semel iterumque affirmante Hieronymo,
Chiliassis favebat, cum tamereorum opi-
nio in Apocalypticis his Commentariis
conatu maximo impugnetur. Alii tamen

Victorino relinqui posse hanc fætum censem, uno hoc de mille annis loco excepto, quem peritus aliquis Orthodoxus mutarit ac emendarit. Vel ex hoc solo exemplo æstimari potest, quam lubricum & anceps sit hoc de Patrum libris judicium, in quo exercendo, etiam toto eruditionis armario lustrato & perlustrato, in medio tamen relinquare non pauca, & *Amplius* pronunciare cogimur. Illud vero evitare haud sane erat difficile, in quod nonnulli incurserunt, Divum hunc ex Episcopo Petabionensi in Pictaviensem mutantes, eumque translatione mirabili e Pannoniae finibus repente in Galliam usque devehentes. Taceo de Carminibus, quæ in hoc opere non conor attingere: admiratio tamen subit animum, unde cujusquam suspicio de Carminibus Victorini exorta sit, viri etiam in soluta oratione tam indiserti, ut animi sui sensa verbis explicare non posset.

1601.
S. Vincen-
tius Fer-
rierius.

VINCENTIUS FERRERIUS, immortale ac singulare decus sanctissimæ Prædicatorum familiæ, non unius loci, sed multorum regnorum Orator sacer, vel potius Propheta & Apostolus Occidentis. E quo fonte hauserit, D. Antoninus Chronic. P. III Tit. 23 c. 8 v. 4 docet: Nec alium librum secum de-

deferebat discurrens ad studendum nisi Bibliam. Inde suos fabricabat sermones, quorum multi reperiuntur ab auditoribus recollecti valde devoti. Vincentius Justinianus Antistius, omnium hominum optime de D. Vincentio meritus, & ipse jure conjicit, tria Sermonum volumina non a Divo scripta, sed a discipulis excepta esse: quo sit, ut de vero ejus stylo nihil certi statuere liceat: hoc apparet, maximis animi motibus plenum fuisse, quorum femina ubique animadvertisuntur. Merito igitur dicendi vim in Ferrerio prædicat Hieronymus Platus de Bono Status Relig. II 32. Nam, ut Abrahamus Bzovius Annal. T. XV ad A.C. 1405 narrat, „tanta felicitate porro Vincen-
tius ad populum concionabatur, ut
„quam plurima Judæorum & Sarace-
„norum millia, sua prædicatione Chri-
„sto adjunxerit; nec non innumerabi-
„les gravissimis facinoribus obnoxios,
„non tantum ad pœnitentiam, verum
„etiam ad fastigium virtutum adduxe-
„rit.“ Unum Vincentio, & viventi,
& mortuo, a nonnullis objectum est,
quod Antichristi adventum & seculo-
rum finem instare passim vulgaret. Qua
de re S. Antoninus I. d. in hunc mo-
dum respondet: „Quod autem scribe-
ret vel prædicaret, Adventus Anti-
christi & finis mundi cito erit, & be-

„ne cito, non propter hoc determi-
„nabat tempus istud, sed sub illo cito
„potest comprehendendi tempus modicum
„& multum.“ quod aliquamdiu pro-
secutus, bene addit: „Non ergo pro-
„pter hoc calumniandus, vel minus
„verax existimandus est, qui vir fuit
„doctrina & vita apostolicus.“

1002.
Vincen-
tius Liri-
nensis.

VINCENTIUS LIRINENSIS, Sa-
lonii magister, in quo, dum contra
hæreseon impietatem decertat, robur
eloquentiae eminet & lacerti quidam, ut
eo fieri nihil possit valentius. Invicto
suo & insuperabili Commonitorio alie-
num Peregrini nomen præfixit, sub
quo editum etiam multo post fuit, cum
de auctore pridem apud omnes consta-
ret. Quod ideo commemorandum pu-
tavi, ne quis forte hæsitet, si Peregrini
nomen in vetustioris alicujus volu-
minis fronte conspexerit. Multi, cum
Lirinensem testem citant, sola nomi-
nant Commonitorii *capita*, nulla habita
partium ratione: atqui bipertitum opus
est, quanquam secundæ Partis postre-
ma tantum tria Capita supersunt. Spe-
ctato stylī modo, qui nihil blandi habet,
sed ad præliandum & vulnerandum fa-
ctus est, ferreum scriptorem dixeris,
ut apud Romanos Atilium Tragi-
cum esse appellatum M. Tullius per-
hi-

hibet. Vel si de Patre e Patribus phra-
sin mavis, cum S. Ennodio Epist. I 2
affirmaveris, ferratis verborum calcibus
Lirinensem omnes Ecclesiæ Romanæ
hostes elisisse.

WIGO. Vide Guigo.

ZACHARIAS CHRYSOPOLITA.
1003.
NUS Episcopus Unum ex Quatuor, seu ^{Zachari-}
Monosticharon, ex Evangelii inter se ^{as Chryso-}
concinnatis edidit, jam olim quidem ab ^{polites,}
Ammonio & Eusebio Cæsareensi com-
positum, sed a se novo studio recogni-
tum, & in meliorem formam redactum.
Matthæum & Lucam per primam sui
quemque nominis literam *M* & *L* au-
ctor hic repræsentat: *R* Marcum, *A*
Joannem Evangelistarum Aquilam in-
dicat. Quid Arithmeticci numeri iden-
tidem interpositi significant, ipse in
præf. tertia docet. Genere toto est
astricrior, quem eloquentiæ habenas
laxare institutum suum non sinit: in
devinciendis autem, & inter se con-
nectendis Evangelistis, vitæque domi-
nicæ serie ordinanda, summam indu-
striam felici successu adhibuit.

ZENO VERONENSIS Episcopus,
1004.
eui & Martyris nomen vulgo tribuitur. ^{S. Zeno.}
Si ille Martyr intelligatur, qui Gal-
(X 4) lienq

lieno Imperatore necem pro christiano dogmate perpessus est: profecto Sermones, qui Zenonis nomen præferunt, ad eum trahi nullo modo possunt. Sed si Confessor Zeno sit, & Martyr honoris ergo dictus ideo, quia tuendæ religionis caussa sub Constantio Ariano-rum propugnatore ac Apostata Juliano multa tulerit: cessant rationes illæ, quibus adacti Critici eas orationes Zenoni antiquiori vere ac proprie dicto Martyri detraxerunt. Excipio utique Sermiones illos, qui manifeste ex aliis aucto-ribus, ut Hilario & Basilio, ad verbum transcripti sunt. Scribendi genus auctori politum, & veluti quibusdam gemmis sententiarum argutiarumque ex intervallo distinetum,

CAPUT VIII.

Index eorum, quæ a Patribus & Scriptoribus Ecclesiasticis in præcipuos anni dies posteritati relictæ sunt.

1005. *Homilia-
rum e Pa-
tribus.* **C**aput hoc argumento erit, Libro su-
periori de Panegyricis hunc de Pa-
tribus & Scriptoribus Ecclesiasticis non
abs re esse a me subiectum: ut enim
nihil est in Eloquentia Sacra, quod plus
artis

artis & ingenii poscat, quam Panegyricus: ita nihil est, unde nobilior certiusque subsidium petere queat Panegyricus, quam Scriptores illi veteres, quorum & eximia ingenia, & lumen a Divino Spiritu peculiare, & auctoritas in sacris cœtibus maxima, omni ex parte præsidia nobis & ornamenta promittunt. Lectorem vero meum ut sublevarem, laboris partem maximam in me derivavi, & e probatissimis illis auctoribus collegi omnia, quæ ad statos per annum Panegyricos idonea in thesauris suis pretiosissimis nostro usū reliquere. Nihil commodius obtингere concionaturo potest, præsertim si vel nondum satis paratus, vel jam sensim exhaustus sit, quam si alere eloquentiam ex alieno possit, & multa ingeniose excogitata præclareque dicta in uno simul acervo inveniat. Mei ergo consilii hæc fuit ratio, ut annonam e Patrum latifundiis conveherem in præcipuos annides, sive dominicos, sive festos alios, qui ex rituum sacrorum lege *prīmā aut secundā classē* dicuntur. Indicabo autem fide optima non Homilias tantum ac Sermones, quos ipsi Patres diebus illis proprie destinarunt; sed illos etiam locos, qui in medio librorum veluti delitescunt, & quærentium desideria eludere solent. Librorum, Capitum,

Homiliarum numerum addo, & ubi
Lectoris commoditas exigere videtur,
etiam voluminis regionem & paginam
Bibliothecæ Maximæ Patrum, editionis
videlicet Lugdunensis Gallorum. Pom-
pæ inani, & ostentationi putidæ, non
Lectoris mei usui datum censerem, si
eos quoque e Patribus annumerarem,
quorum orationes in hos dies festos vel
penitus e rerum natura sublatæ sunt,
vel nondum e scriniorum umbris in lu-
cem publicam emersere. Quid enim
emolumenti Lectori attulero, si Deme-
trium, ut exempli gratia dicam, Cydo-
nium nominavero, seculi XI V scripto-
rem, qui orationes edidit græcas in
Pentecosten & de B. V. a Gabriele sa-
lutata extant illæ quidem in inclyta
Biblioteca Cæsarea Vindobonensi in
Cod. MS. sed quia ineditæ silent, Le-
ctori meo præter nomen inutile nihil
conferrem. Vel quorsum mea specta-
ret industria, si dicerem, S. Nilum
Abbatem Sermones duos de Paschate,
tres de Christi Ascensione scripsisse?
est id equidem certum e Photii Myrio-
biblio: sed si quis ex me sciscitur, ubi-
nam reperiantur: confiteri simpliciter
cogar, me tecum id ignorare. Sermo-
nes in Festa Sanctorum exaratos esse
ab Remigio Autissiodorensi, certis in-
ciliis scio: sed eos frustra in Bibliothe-

ea Patrum, frustra in Remigii Operibus seorsum excusis quæras. Valeant igitur hæc eruditionis ludibria, e quibus in præsenti nihil fructus percipi a quopiam potest. Ex iis vero, quæ nunc etiam extant, & liberaliter a me ostenduntur, operosum non erit eligere, & e tanto Scriptorum optimorum numero invenire aliquem, a quo hastas ubi jam amentatas acceperis, tuis eas lacertis & viribus ipse torqueas. Vel, ut similitudinem aliam e D. Cypriano mutuer, præfat. in librum de Exhort. Martyr. in quo solos Divinorum Scripturarum locos ad Fortunatum mittit, nulla re de suo adjecta:
„ut non tam Tractatum meum videar
„tibi misisse, quam materiam tractan-
„tibus præbuuisse; quæ res in usum sin-
„gulis proficit utilitate majore: nam
„si confectam & paratam jam vestem
„darem, vestis esset mea, qua aliis
„uteretur; & forsitan non pro habi-
„tudine staturæ & corporis res alteri
„facta, minus congruens haberetur.
„Nunc vero lanam ipsam
„& purpuram misi: quam cum accep-
„ris, tunicam tibi pro voluntate con-
„ficies, & plus ut in domestica tua
„atque in propria veste lætaberis.“
Non me nunc latet, similem fere ope-
ram sibi olim sumpsisse Petrum. Blan-
cho.

chotum Parisinum e sacro Minimorum
Ordine, qui Operi suo titulum hunc
inscripsit : „Bibliotheca SS. Patrum
„Concionatoria, qua scilicet SS. Pa-
„trum & celebriorum Doctorum ad
„annum 1500 Concciones, Homiliæ,
„Orationes, & hujus generis reliqua
„summatim exposita, servato rerum
„& temporum ordine sub unum con-
„spectum exhibentur, & operosæ le-
„ctionis compendium fit studiosis lecto-
„ribus ad concionum sacrarum doctri-
„nam & methodum, quam minimo la-
„bore, sed via maxime utili & certa
„comparandam.“ Ingenti Concionum
numero volumen hoc auxit Michael
Nuæus (*de la Noue*) ejusdem sanctissimi
instituti. Quid inter Librum hunc &
Indicem meum intersit, satis intelliget,
qui comparare voluerit. Ego suam
Blanchoto & Nuæo laudem tribuo, &
utilissimum Sacris Oratoribus adjumen-
tum parasse, libenter publiceque confi-
teor: illorum tamen labore meum le-
vare non potui, quippe in quos mul-
to tempore post inciderim, quam appa-
ratum hunc meum e Patribus concessis-
sem: eorum & Bibliothecam Maximam,
& separata propriaque Opera, ob hanc
unam causam denuo a me perlecta esse
ingenuæ testor, atque hoc non com-
mendandi mei, sed animandi confir-
man-

mandique Lectoris gratia, dissimulandum hoc loco non putavi. Sed jam ad ipsos Patres accedamus, ducto a Festis Immobilibus initio, deinde ad Mobilia progressuri.

In Festum Circumcisionis Domini 1006.
hæc extant Veterum monumenta: Festum
S. Amphiliochii Orat. 2. B. M. (id Circumci-
est, in Bibliotheca Maxima Patrum, sionis.
Lugdunensi nimirum Gallorum) Tomo
V p. 1060.

S. Andreæ Cretensis Orat. 6. B. M.
Tomo X p. 633.

Arnoldi Carnotensis, vel quisquis
auctor est libri de Cardinalibus Christi
Operibus, Cypriano olim ascripti, tit.
de Circumcisione Christi.

S. Augustini Sermones duo in Calen-
das Januarias.

S. Bernardi Sermones tres de Circum-
Domini. Ejusdem Jubilus de Nomine
JESU. Ejusdem in Cantica Sermo 15.
Sub nomine S. Bernardi Auctor Vitis
Mysticæ c. 2 & 36.

S. Bernardini Senensis Vol. I Ope-
rum Serm. 49 per totum Articulum
primum, secundum, ac tertium. &
Vol. II totus Sermo 49 per proœmium
& omnes Articulos.

S. Brunonis l. IV Sententiarum c. 5.
B. M. Tomo XX p. 1778 sq.

Chri-

Christiani Druthmari in Matthæum,
inde, *Et vocabis nomen ejus JESUM.*
B. M. Tom. XV p. 92.

Eusebii Gallicani. B. M. Tom. VI
p. 700.

Gersonis Prosa in Circumc. Domini.
Ejusdem Sermo de Circume. Dom.

Honorii Augustodunensis in illud
Canticorum, *Oleum effusum nomen tuum.*
B. M. Tom. XX p. 1159.

Innocentii III Pont. Max. Sermo in
Circ. Domini.

S. Isidori Hispalensis de Nativ. Do-
mini I 7.

S. Laurentii Justiniani Sermo de Cir-
cumc. Dom.

Ludolphi a Saxonia Vita Christi I 10.

S. Maximi Sermo de Calendis Januariis.

Petri Blesensis Sermo 7 & 8. B. M.
Tom. XXIV a pagina 1085.

S. Petri Chrysologi Sermo 155.

Philonis Carpathii in Cant. ad illud,
Unguentum effusum nomen tuum. B. M.
Tom. V p. 663.

Richardi Eremitæ Encom. Nominis
JESU. B. M. Tom. XXVI a pagina 627.

Simonis de Cassia Gesta Salvatoris I 10.

S. Thomæ Aquinatis Sermones duo
in diem Circume. Dom.

Titi, non Bostrensis, in Luc. II 21.
B. M. Tom. IV p. 420.

Quibus addi possunt omnes illi e Partibus majoribus, qui in Lucam scripserunt, ad II 21.

In Epiphaniam Domini:

Arnoldi Carnotensis, vel quicunque Epiphania est auctor antiquus, inter Opera Cypriani, l. de Operibus Christi cardinalibus, tit. de Stella & Magis.

S. Augustini Sermones aliquot de Tempore, a Sermone 29 usque ad 36, ubi tamen trigesimus tertius est S. Leonis. Ejusdem Sermo alius in Auctario Parisiensi Tomo X Operum. Ejusdem de Diversis Sermones 64 — 67.

S. Bernardi Sermones tres de Domini Epiphania: nam quartus, qui ita inscribitur, de illa non agit.

S. Bernardini Senensis Sermo de Epiph. Operum Vol. III.

